IACOBI BRASSICANI COOL ROTERO- dami Fabularum Libellus.

Ejusdem

ALIQVOT FACETIÆ.



GOVDÆ,
Typis Ioannis Sasseni Thoennii.
CIƆ IƆ LXXXVI.

IACOBVS GRASWINCKEL
ROTERODAMVS OPT. SPEI
Adolescens in Zoilum.

HEVS Imitatorem quoties tu Zoile carpis
Æsopi, toties nil tibi mentis adest.
Exclamans, sibi vult, mendaci voce, quid istud?
Sunt apud Æsopum, quæ lego, lecta mihi:
At sic dum, rerum, blateras, oblite tuarum,
Carmine qui docto pascua, rura canit;
Et qui Dardanidûm, per mille pericula vitæ,
Æneam, Latij ducit in arva, ducem,
Tela subire tuæ mordentia Zoile linguæ
Debet, & hoc nobis qui dedit Auctor opus.
Fallor; & Æsopi, summiuſq; Imitator Homeri
In laudes vivent, te moriente, suas.

HONESTO VIRO REYNERIO DE SWAEN LEVIRO SVO, CORNELIO BOLLENES, ANDREÆ BOCKENBOVRGIO, GENER, GENERIS SIBI FIRMIS, IACOBVS BRASSICANVS COOL ROTEROD. S. D.

QVAMQVAM ferè litterati omnes ingenii ſui fructus ſolent vel litteratis, vel prĩcipibus ãpliſsimisq́. viris demiſsè humilliterq́. commẽdare: quò facilius ſeipſos adverſꝰ omnes omniũ Sycophãtarũ morſus & calũnias defẽdãt; tamen quibus tãta, ut illis, vis non eſt, ut poſsitis digitulorũ crepitũ, malevolis ſilẽtiũ imponere, Vobis libenter mea hæc qualiacũq́. offero. Qua

quidē in re, multis videar pręposterū atq. adeò perversum sequi judiciū, ut non modò vos, sed & malevoli fortè aliquantū se arbitrabūtur adeptos, in me & ꝙ ridere, & ꝙ carpere posſint. Nā cur hic fretus sua audacia, dicent, cōmunem non amplectitur litteratorū morem? Cur solus tanquā Apollo Mæcenatem nō habet sui studii & laboris? Sed multùm abest ut iste sim, quē me esse fingēt. Cum enim vel teste cōscientia, q̄ utinam hoc quoq. apertè posset clamitare, si quid in me est ingenii adeò sentio exiguū, ut ne tantillam eruditionis laudem, mea opella unquā ab aliquo ꝓmereri posse arbitrer, ne dū usitato illo ac multū hodie laudato scribēdi

gene-

genere, videar velle exuperare: quî ego, quaſi divinæ illius particulæ expers, inter tantam doctiſſimorum virorum turbam, ceu ipſos, ceu principes viros vel ampliſsimos, ſordidulus ad horum eruditionem, & ad illorum copiam, meis auderem Fabulis ſalutare, inconcinnis, ridiculis, & abjectis; præſertim iſtos ſciam, non quod mediocre, ſed ſolùm quod rarum átque excellens eſt delectare? Quòd ſi me ideo malevoli peccaſſe dicent, hîc iniquiores illi tum in me multò, q̃ ego in illos ſum iniquus, dum animi mei non exoſculantur candorem. Nam utinam quod volũt poſſem, & mihi illorum maledicẽdi ſtudiũ hoc daret (inſeri qui-

dẽ & donari ab arte poteſt, haut enim hoc eſt donũ naturæ) Ædepol illis ante omnia gratias agerẽ & fortaſsis alios poſt alios magni nominis viros, vel hîc vel alibi libello quodam lõgè ex aliis compoſito decorarem, néque alia de cauſſa magis hoc facerem, quàm quòd cõmunis olim cõvictus eis refricarẽ memoriã, & me adverſꝰ malevolos tuerẽtur. Neq. enim a teneris ita ſum enutritus, quin habeã quibus ſummo & optimo jure, mea qualiacũq. poſsẽ dedicare, ꝙ ſi tantorũ virorũ in ſcribendo par eſſem, & auctoritati & ſcientiæ. Et ſi ſcribturo vel potẽtioris cujuſpiã, vel litterati alterius patrocinio opus eſt, quamquã ob neglectã in Fabulis meis elẽgantiam,

gantiam, neminem illorum hoc munere dono, tamen non diffido quidquã de eorundẽ auxilio, cõtra omnes adversariorũ calũnias; quod quãti me ad illos habeam, non difficulter ex eo colligẽt: videlicet; quòd si natura vires ad hoc non denegasset, omni obsequio & diligẽtia indesinenter me nomina ipsorum prosequuturũ. Quod ego, per Deũ immortalẽ, obtestor omnes in genere viros, stemmate, vel auctoritate in Repub. præclaros, & ingenuè simul litteratos, qui non solùm umbrã τȢ καλȢ vident, sed & operã sapientẽ, probam, & laudabilem huic navant; ut sibi hoc de me persuasum habere, & vicissim amare, & benevolentia juxta prosequi

 cupiant.

cupiant ac velint. Cetera omitto, quia longum est & malevolis responsũ pluribꝰ sententiis ultrà quã satis est. At Vos si quæritis quis me ad hoc induxit, ut Vobis præ ceteris meas darẽ Fabulas, nõ Syrenũ cãtus, per Iovẽ, nec umbra vestri alti nominis, nec grata movere Dona (nolo privatis inservire meis cõmodis, nihil enim æquè est abjectum) sed cognatio, & vinculum illud consanguinitatis, quo arctissimè nos colligavit natura, cùm benevolẽtia mutua, tum amicitia inter nos celebris, q̃ vellem æterna esset atq. immortalis. Etenim quò ad spiritꝰ hos reget artus, studio erit mihi, cõcordiam, amicitiã, benevolentiam inter nos servare, nec vitreã,
ut

ut vulgus, nec disſipabilem; quæ ſi ſarciatur nequidquam coit & reſcinditur, ſed indiſſolubilem; licet eò rediêre mores mortaliũ, ut inter amicos minus diu cõveniat & plus poſsit una Ate, quàm centum Litæ; fretus hac ratione, quòd nihil tam ſanctũ, nihil tam utile, atq. honeſtum ſit in vita; q̃ fratrum ſororúmque illam amabilẽ fovere concordiam. Quod ni ad hæc laudabile eſſet, nunquã Reyneri optime tam mei quàm tui parentes, tanta cura ac diligentia, ſæpe etiam non ſine levi ſuo impendio, extinctam ferè, ceu alimento quodam, amicitiã in vita refocillaſſent. Certè mihi obſcurũ non eſt, quæ illi non nunquã, ad conſervandum eam

hîc

hîc gesserint. Exemplũ omitto, adferre, probrosũ esset; quia in parentibus hoc gloriosum. Igitur tantopere excultam a parentibus amicitiam, insuper ceu curuli quadam regia sella volui adornare; cùm enim Vos fideliter omnes operam ea in re navatis, Οὐκοῦν τὸ λεγόμενον, ἀδελφὸς ἀνδρὶ παρείη, contra leges amicitię facerem demens ac stultus, quòd si in uno stadio currens, non idem eniterer & contenderem. Sed quum video contrarium esse decens, sic facere decrevi; quod si non viderem excors essem. Vna est catena quæ me vinctum tenet, cura amicitiæ. Quod ut quàm maximè clarum átque testatum esse posset, meus calamus ad Vos has

mittit

mittit FABVLAS, quas, oro, blando fovete ſinu, in quo facto illud ineſt, quòd & Vobis notã, & abs me teſtificatam eſſe cupio voluntátem meã omittendæ nũquam amicitiæ. Valete, & vile hoc & minimi pretii munus levidenſæ æquis accipitote animis. Ex horto noſtro tertio Idus Iulii. Anno milleſimo quingenteſimo octuageſimo ſexto.

LECTORI SALUTEM.

VT EMPTOR, Lector candide, mercaturus purpuram, ne fallatur, alteram purpuram adhibet; ita rogo ne meas fabulas, ad Æsopi, aut alterius cujusdã docti fabulatoris, velis dijudicare. Novimus sanè Ingenij nostri exiguitatem, & quòd nostræ cineris specie decolorari videbuntur, horum divini comparatione fulgoris. Nos haut Sandicem Indicam, hoc est, non Æsopicas, sed purpurã qualis apud nos est, fabulas videlicet nostro Ingenio natas propriasq; damus: vix mediocres, &, si eorum admoveas eximias, nullas. Est apud Aristophanem, Lenticula diviti placere desinit, sed omnia esculenta obsessis, habet Proverbium. Forsitan ubi non nihil erit Respub. pacatior, Academiæq; patebũt, liberaliter eruditus alteras elegantiores dabit. Non mediocris est artificij, nec cujusvis fabulam aptè decenterq; conscribere, ne dum invenire quæ nunquam dicta est prius. Est liberale officium miseros & rebus omnibus & hoste cinctos suos cives juvare. Finge urgere necessitatẽ, & has meas inopia cibi devora; magna adjuncta est gratia rebus parvis. Non mole ac magnitudine, sed ipsa parvitate, ut gemmæ & sculpturæ placeant. Nam præter compositionis artificium, Fabulæ etiam magnã hominibus doctrinã præstant;

ſtant; quarum me quidē etſi imperfecto quodam dicendi genere abſolvuntur, alta tamē & profunda juvat atq; delectat Philoſophia. Ita ut non contentus has deſcribſiſſe ſolùm, & in non nullas brevem Commentarium fecerim. Neq; mirandum, quod me tantopere incendit incredibilis amor ſapientiæ quæ ſub Fabulis latet; quum nihil ferè in vita hominum quod rarum eſt atq; excellens, nihil quod divinum, alia q̃ tali forma exprimitur. Nonne Rhetores & Oratores, dum orationis floſculos, & quidquid ad aliam quampiam figuram proverbialē ceu perſonam ſpectat, uſurpant, ludunt, & a conſueto loquendi uſu recedunt? Et quàm hoc in homine laudabile eſt qui norit? Poëſis autem quid aliud quàm fictum & pictum? Hinc olim quanta religioſi arcani erat obſervatio, docet Macrobius, ubi duodecim ſigna Zodiaci ad naturam ſolis refert. Et Tragœdia poëmatis graviſſimi genus, quo Regū Principúmve calamitates depinguntur; &, quæ in veteris locū Comœdia ſucceſſit jocandi ars elegans, urbana, ingenioſa, faceta, qua non modò Plautus, ut Cicero teſtatur, ſed etiam Philoſophorum Socraticorum libri referti ſunt, quid aliud quàm fabulæ genus? Atq; ubi jam Philoſophorum incidit mentio, taceo tam Græcos quàm Latinos, qui ad eam quam nos partē Philoſophiæ de moribus appellare ſolemus, non minimùm fabulas facere arbitrati ſunt. Noſtræ quoque Religionis oracula nunquid per quædam integumenta, & involucra perſpicimus? Quaſi verò non ſint in iſtis infinitæ ſimilitudines (religio eſt fabulas appellare) a perſonis, rebus

ſimilibus,

ſimillibus, ab animantibus, & inanimatis ſumpta. Et quæ Apollinis magis certa reſponſa, & ubi detecta & aperta ſunt quæ utilia magis?

Circumſpice pauliſper mente tua Lector, qui hujus Philoſophiæ affines ſunt, & tanta diligentia, undiq. petita Emblemata & Heroica iconibus atq; imaginibus expreſſerunt. Nonne hæc omnia inventionem fabularum uſumq; commendant? Infinitū eſſet ſi generatim vellem percurrere quotquot rem manifeſtam obſcuritate quadam texerunt; ſed quâ oratione elegantius vel ipſe Cicero perſuaſiſſet, adeo a teneris aſſueſcere multum eſſe, quàm ille Lycurgus duobus canibus (idq; ſpectante populo) quos in medium Theatrum projecit? Notum omnibus quod dico. Eſt factum quoque Sertorij nobilis Romanorum ducis memorabile; Curioſus Plutarchum in ejus vita legat, qui vulſis duabus caudis equinis, ſuis copijs ex immani & fera turba collectis, perſuaſit in bello perſæpe, quantū plus poſſit ingenium quàm vires. In ſumma, fabulandi artem nulla non res cōprobat. Quòd ſi cui ſatis non ſit ipſum ſapere, verùm etiam alios conabitur flectere, quàm non inutiles ſint ad hoc, ſi illis utamur non tanquam cibis ſed veluti condimentis, in Æſopo fabulatorum omnium parente, & Steſychoro videre eſt, quorum alter Samios, alter Hymerenſes, nota apologi narratione, ab incepto deterruit. Eò nāq; magis harum vis elucet, quò longius petuntur.

Nunquid Valerius, ut tradit Livius, poſt Vetuſij Conſulis reditum, omnium actionum primā habuit, quid de Nexis fieri placeret? Cujus quum reje-

cta

cta relatio esset, quanta pòst crevit seditio? At Menenius facundus vir, Orator ad plebem missus, atq; intromissus in castra prisco illo dicendi & horrido modo, nihil aliud quàm fabulam narrasse fertur, de vētre, ac reliquis humani corporis partibus, flexisse mētes hominum. *Ego verò non (ut malevoli prius dicent quàm grati) has feci, aliqua quò inde ad me gloria manaret, hoc enim inanis esset jactantiæ, sed quum se doctrina undiq; e fabulis proripit ac projicit, ad aliorum exemplum, libandus etiam erat mihi harum lepos, de quo si aliquid meo labore, & vigilijs consecutus sum, omne id, quod est, Reip. litterariæ impertior. Quamquam communi studiorum sacramēto teneor, & istos Duces Patriæ atq; antesignanos semper sequi velim pro viribus, qui sibi vigilias & labores, Reipub. verò nostræ, decus & ornamentum paraverunt & adhuc parare non desinunt: ut enim Senatus omnium artium liberalium Amātissimus, ita hìc frequens semper fuit litteratorum copia. Nempe hac úna,* Cornelius Aurelius *magni illius* Erasmi Roterodami *præcepor, dein* Guilielmus Goudanus, Erasmo *quoq; carus; pòst,* Reynerus Snoy *avunculus meus, cujus docta exstāt scripta: ac modo* Cornelius Schonæus *suis Comœdijs passim clarus, oriundi Patria, cujus si Latinæ linguæ elegantiā laudibus ornare vellē, vererer ne ei invidiam magnā meis verbis concitarem. Hìc* Balduwinus Ronsæus *vivit adhuc, alter* Hippocrates. *Hìc innumera adolescentia, cujus atq; enascentis paulatim Gymnasii potius quàm Scolæ curam, provida Ampliss. Senatus dignitas*

dignitas & auctoritas, vigilantissimo Gymnasiarchæ modò D. Paulo Traudenio *concredidit, viro sanè varia arte humanioris litteraturæ longè ornatiss. cultissimoq́, nihilq́ omittenti, quod ad magnã hujus urbis gloriam facit. Huic, si planè rudem instituì ad dicendum vellet, Cicero filium potius traderet, assiduo uno opere eandem incudem, ut suis verbis utar, die nocteq́ tundenti, qui omnes tenuissimas particulas, átque omnia minima, mansa, ut ajunt nutrices, infanti puero in os inserat. Accedit Joannes Saßenus Thoennius, studia pro sua parte juvãs; dum magno suo sumptu urbis gloriã augere parat, & Typographicam exercere vult. Igitur ut ad eam viderer & ego aliquid velle adjicere, a talibus impulsus ducibus, ab hoc provocatus Typographo (quamquã animus erubescebat) hunc fetũ qualemcúnque emancipavi. Tu verò Lector benigne, boni consule, fruere ac vale.*

IACOBI BRASSICANI COOL Roterodami fabularum Libellus.

DE PISCIBVS ET ANGVILLA. FAB. 1.

PISCES olim æstibus in medijs, fluminis jam profundo flagrantia solis incalescente, in ipsa aqvarum superficie, sub umbrosa qvercu natabant, atq. læti omnes, gelidis aqvarum undis, frontes suas spargebant. Sola verò Angvilla, caloris haud pertæsa, in luto hærebat. Hanc cũ prænatante Carpione pisciculi minuti omnes, fluminis sic insidentem imo, aspicerent, jocos cum ea agere cœperunt: verè Angvillam omnium humilem esse, voluptatisq. contemptricem, ut qvæ in aqvis æstiuo tempore, refrigerari negligeret. Angvilla tacitum ijs os præbere maluit,

eorumq. voces falsas silentio præterire. Interea hæc magis magisq studebat gravè olenti fundo assvescere, qvò semel id ferre edocta, qvarumlibet tandem aqvarum perferens esset. Accidit dein, flumen conglaciaret frigoribus, & nive pruinaq. concresceret. Quâ re cognita pisces, qvòd tam subitæ, & tam improvisò, in currenti flumine crustæ fierent; concilium cogunt, ut qvid jam facto opus esset, maturè deliberarent: Magna illico piscium multitudo in unum conveniebat: sed cùm post lõgam deliberationem, pleno facto agmine, frustrà conarentur glaciem effringere, qvamplurimis interclusa est anima. Tum confertim emorientibus ac supinis, & vẽtre cœlũ versus spectantibus, præteritas Angvilla voluptates, piscibvs exprobrabat. Ehem, qvò nũc animi vestri tanta petulantia pervenit? Qua, sub umbra delicatuli, modicos tepescentis fundi fastidientes calores, totum exigebatis diem. Næ, recentis hujus lasciviæ flosculis capti estis. Ah, jam diu lascivibundos, nunc adeo mœrere. Ego per hoc flumen, in mare vastum atq. sinuosum hinc abeo; nec me salsedo, nec qvævis terret proluvies: hoc mihi diuturna exercitatio dedit; vobis jam sapere hoc, an desipere est?

MORALE.

Docet Fabula qvarumlibet voluptatum sectatores

ctatores, ubi aliqva ventorum procella increbuerit, mollitie ſæpe ſua perire. Contrà, vitæ hujus labores & moleſtias multoties paſſos, facilè à gravioribus cõſervari, ne in præcipitium ferantur. Atq; unà vult nos forti animo, paupertatem, contumeliam, vulgi qvoq; inſultantis irriſiones, perferre. Etenim brevem voluptatis uſum, ut res parvas, minutas & aſpernabiles eſſe: Patientiam autem præviam voluptatis, ejuſdem campum aperire, juxta illud Ovidij,

Perfer & obdura, dolor hic tibi proderit olim;
Sæpe tulit feſſis ſuccus amarus opem.

❡ DE AVRIFICE ET MARGARITIS. 2

Ferunt Conchas eſſe Cytheriacas, margaritiferas, qvibus Aurifex (dum vaſto inhærentes ſcopulo proſpicit, ut manu contingere non poſſet) inſidias ſtruit, inqviens, hæccine ratio eſt adeo pretioſas, in tam aſpera & ſcabra teſta incluſas, ſcopuloſa inhabitare loca? Haud æqvum eſt, ut Regia potius ampliſſima dignas, vos in tam anguſto tegumine ſervetis. Tranſnatate, recluſæ omnes in palatium tranſibitis, atq. adeo hoc vobis polliceor, alternas, auri inter folia, candicantes ponam.

Illæ autem teſtis ſeſe aperientibus una-

nimes, ſic alloqvuntur ſvaſorem. Qui eget peregrinando rem quærat, at domi manère oportet bene fortunatas.

MORALE.

Nuſqvam commodius, nuſqvàm liberius, nusqvam lautius vivitur, qvàm domi, juxta illud: Οἶκ☉ φίλ☉, οἶκοσ ἄριϛ☉. *Vel ſi longius detorqvenda; ut pretio avarus, ſic capitur glorioſus laude. Qvi autem ſibi bene conſcius eſt, non captat ex alienis laudibus gloriam, ſed eſt ſuarum virtutum conſcientia abundé contentus.*

ORIGO SEQVENTIS EABVLÆ.

Cùm propter ſtomachi affectũ, à cruditate humorũ copioſa naſcentẽ, valetudo in ancipiti eſſet, titubãte alimoniæ meatu, qui nõ minus hominibus, quã animalib9 cæteris eſt neceſſarius; idq. cõtraxiſſem vitij, quòd aliquando

EX

ex amicorum voto, cænam ſerius cum ijs produxiſſé : ut culpa manifeſta aliquo piaculo lueretur, ĩperavi egomet mihi, ut Fabulam aliquam ſcriberem, qua docerem, in cibo & potu, quãtopere ſequẽda ſit laudabilis illa menſura: cõtrà, fugienda ſemper, immodico farta vino & dape, intẽperantia. Quid enim nõ epulas? quid? ego intemperantiſsimas illorum perpotationes non arguam? et quos deficiẽtes à ratione, video, ea parte oris, qua eſculentis & poculentis, non ad opprimendas, ſed reſtaurãdas vires, iter natura patefecit, adeo nefandè abuti? Quòd ſi tantùm plebeis, familiare hoc vitium eſſet (quia plebeja ingenia magis exẽplis, quàm ratione ca-

piuntur) admonuiſſe contentus forem pecorum, boum, aſinorũ, camelorum, cæterorumq́. in quibus nihil eſt admiratione magis dignũ, quàm quòd videmus hæc viliſsimis, ut gramine ac frigida, adeo temperanter uti. Nunc autem cùm non longè abſint, vel è viris præcipui, qui ſuaviter quoq́. ligurire norunt, ac vinolentia & cupedia, vomitũ diſſolutionéq. ſtomachi creare; attamen tã bellè ijdem quid aptum atq́. conveniens ſit corporibus humanis, meminerũt, quàm ipſa natura, quę per ſeipſam, admirabili ſuo artificio illa perfecit: majoribꝰ multò opus eſt, ad demonſtrandum, rationibus, quàm inſalutifera, q̃ noxia, deniq́. q̃ peſtilens ſit homini,

mini, meritò execranda illa ingluvies. Igitur ut intemperiæ illæ, sic aversæ à prǽscripto rationis, certis loris regi & contineri, atq. adeo à sacris propulsari queant; Fabulam ponemus ipsam.

DE GVLA ET STOMACHO. 3

VALETVDINI metuens Gula, qveri de ea atq. altercari cum stomacho cœpit, quòd non mutaret cibũ in qualitatem corpori convenientem, quamobrem si facere negligat, ita ut decet, stomachum cogeret causam, Iovis ante subsellia, dicere. Convenire enim ut recogitet, beneficia universa quæ hucusq. à se accepisset. Videlicet tot ac tanta esse vini pocula magno sumptu parta, ut judicaret ineffabilia, præter omnis generis offas quibus ꝑ omnem vitam insatiabilis atq. voracior impendiò, stomachũ ĩplevisset. His dictis, obmutuit. Tum leni ac voce remissa stomachus. Parce soror, mihi meam pigritiam aut ignaviam exprobrare. Cur sic ingruis ac si contra beluam assur-

geres, qvum id malum quod vitare poteras, ultrò accerſas atq. attrahas? Nunquid ſemper ego cum eſculentis poculenta recepi, & ex his, admirabili quadam atq. diligenti œconomia, ſuccũ cuiq. parti nutriendæ diſtribui? Sed quòd minꝰ nunc ferveo, vino & epulis inmodicè indulgens tu effeciſti. Septem dicrum crapula ſæpe gravis mihi es. Quòd ebibis, quòd commedis, quòd facis ſumptus, nihil moror: non luxurioſa mihi atq. tibi eſt commeſſatio tanti, quanquam & tu quoq. nota edendi voluptate duntaxat tum gaudes. Nam pluris Pol habeo in ſobrio quàm violento homine eſſe. Tua ergo hcluatio tentat debilitatq. meas vires non quòd deſeram officium. Poſtea verò quàm ita dixiſſet, nunquam quietus erat, ſed ejus oratio gulam ardore cõcitabat. Cujus ego de effrenato & præcipiti furore quid dicam? Nimis indiligens es clamat, peſſime, officium non facis. Quid etiam dubitas? An me principem eſſe oblitus es, dum ſuperiorẽ te locum poſſideo? Videbo nũ quæ dederim cõcoques. Quid multis? In popinam divertit, exquiſitis ſaginatur epulis, aſſis ficedulis, phaſianis, fringillis teneris avibus, ac ſturnis, gallisq. gallinacijs à præſectis popinarum & luxuriæ caſtratis, cuniculis, leporibus. Ad hæc impura ingurgitat merum, lene, aſperum, nigrum, Leſbium, Surrentinum, & omnes ſtomachi angulos farcit. At deliciarum omnium ſtomachus nauſeam habens, citò ſe à noxijs quantum valet purgat.

purgat. Sudat, pallet gula, laborat ſimul. Attamen vini & cibi copia nimis oneratus, Stomachus in morbum incidit; crudus fit, eructat, ingeſtus coaceſſit cibus, peſſimumq. vitium reſolutionem patitur, appetitus perit, obſtrũit humor corruptus, naturales alimoniæ meatus, ita ut pereunte tum Stomacho, periret & Gula.

MORALE.

Vt ſervos æqvum eſt dominorũ ſuorum obſequi imperio, ita dedecet maximè dominos nimiam ab ijs operam exigere. Primùm quia nulla major eſt, ut refert Colum. vel neqviſſimi hominis cuſtodia quã operis exactio: Dein ceu arborem ſenio confectam tollit, ſervum quiſquis dura ſervitute premit. Qvemadmodum enim arbor veterrima mox aret, & poma & arbor, id eſt, proles cum genitrice tum perit, ita qui in ſervum nimis inclemens eſt herus, & imperiũ omne amittit, & à debilitato nullum deinceps ſperat obſequium.

¶ DE VVLTVRE ET LEONE.

Prædam nactus, Leonem vultur in cænam vocat. Gravatè ille primò; quid multa? Impetrat. Multa ex corporibus putrefactis

ctis in cæna supererant fercula, & qvum alia post alia cænaret, ferox eorum Leo nihil attingebat. Tum alterius pecudis & maximè putidæ carnis massam Vultur vocat. Sed qvum nec ex ea jejunus delibaret, in qua Vulturis omne obseqvium niteretur; num regalem fastidiret luxum interrogatus Leo, haud esse se animatum sepulchrū respondit; omnium animalium generosissimum, corpora prosternere viva, non instare morientibus, nedum vesci mortuis. Quo dicto, jubas ex collo armisq. immaniter defluentes qvassabat, iratusq. abibat.

MORALE.

Ignavum ac ridiculum est mortuos jugulare, rursus congredi cum vivis, forte: ad quod alludit Ovid. dum ait,

Corpora magnanimo satis est prostrasse Leoni,
Pugna suum finem, cùm jacet hostis, habet.
Ast Lupus & turpes instant morientibus Vrsi:
Et quæcunq; minor nobilitate fera est.

Qvadrabit quoq; in eos qui absentis nomen feriunt calumnia, cujus, si præsens esset, magis quàm carperent, dignitatem admirarentur, qua re nihil esse potest indignius ingenuo viro.

❡ DE PAVONE ET PAPILIONE.

Animum Pavo gerebat cōtingentem Olympum, ob pennas, quas sola præ cæteris avibus elegantissimas à natura acceperat. Sed qvum odioso sanè more eas quantum posset sæpiusculè explicaret (quasi cæteris hoc pacto suę formę infelicitatem exprobraret) Papilio clam involat in alas, ac multa ibidem ponit stercora. Hęc postquam ignaro passim tineas producerent, inertes adeo depascebant miserum, ferè ut inventus sit nudus atq. deplumis.

Papilio, communem ultus injuriam, ac pluma levior, nuntiat avibus; illę protinus advolant, ridentes, circum-circa Pavonē pedibus plaudentes, choręas & carmina ducentes, arrogantiam non ferendam detestantia.

MORALE.

Vetus Proverb. Jactantia comes invidia. Cavendum magnopere in hac vita, ne quis insolentius jactet vel fortunæ munera, vel naturæ dotes, ne quādo Nemesis exaudiat aufratq;. Etenim potentia & opes, forma & laudati ingenij vires plerumq; invidiosa sunt.

DE CA-

¶ DE CANE VENATICO ET HERINACEO. 6

HERINACEVS aculeis, pedem se urgentis figebat Canis; hic dum miserè p̄ dolore ejulat, ille ex vulnere claudicantem deridet; Canem, inquiens, ex claudicatione jam deformem, deinceps minus gratum fore hero. Quod audiēs Canis, nihil est inquit, qvod vereor; me certè exeuntem pedibus fuisse admodum celerem novit herus, qui si fortasse ex deformitate pedum aliquid habebit offensionis, hoc totum tibi imputabit.

MORALE.

Infamia non ferentis calumniam, sed Calumniatoris est. Facilè innocentia sui custos, at detractor nuuquam satis se purgat. VEL

LÆSO DOLORIS REMEDIVM INIMICI DOLOR.

¶ DE CVCVLO ET RVSTICO. 7

Cuculus

CVCVLVS autumno lectissima poma in cava arbore condebat, quibus hyeme frueretur, & qvum satis jam rebus necessarijs provisum putabat, hanc incubabat. Similiter Rusticus Aquilonem raucum metuens, struem ingentem lignorū facit, atq. adeo quoq. securi illud succidit, in quo ales nidum premebat. Dein hyberno gelu & nives & tellurem indurante, assiduo illi focus igne lucebat, ac tum etiam superinjiciens casu truncum, quem habitare dictus est Cuculus, omnia quæ in cavo occultaverat poma, Rusticus effundit: his conspectis, Iovē se hoc beneficio donare putabat, mox interiora cavi allambente & corripiente flamma, nudus, deplumisq. Cuculus exibat. Ibi horrendum videre mōnstrū visus, Rusticus familiares atq. vicinos clamat, quibus Cuculus risum movet, simulq. fit auspicio detestabilis. At supplex Cuculus se esse indicat alitem illum temporarium, verno tempore volantem per aëra, & vinitores ad laborem provocantem, & sub Caniculę exortum occultantem. Familiares verò cum vicinis atq. adeo Rustico, miserum domo exigunt; vere, dicentes, pręcipiti videbaris elegantula, nunc specie esse fędissima aviúm, quas fert æther.

MORALE.

Cultus

Cultus concessus & magnificus addit hominibus, ut Græco proverbio testatum est, Εἵματα ἀνὴρ, authoritatem.

VEL,

Felicibus cognatus est, vel quilibet: contrà in rebus adversis, aut nulli aut pauci sunt amici, ut longè verissimum sit, quod scribsit Iuvenalis,

Nil habet infelix paupertas durius in se,
Qvàm quòd ridiculos homines facit.

DE LVPO ET PEREGRINATORE. 8

Lupus lęthali propè inedia confectus, per condensam arboribus vallem, prædas agens oberrabat. Et cùm per triduum populabundus, nihil cepisset, Hespero ab occasu refulgente, qui lucem prorogat, átque æterno meatu vicem lunę reddit, ad cantum peregrinatoris longè latéque resonantem lętus occurrit. Peregrinator simul progreditur, cantillans, venturi periculi pręscius non antè, quàm ad conspectum sui, devorantibus oculis, rictum atrociùs diducere Lupum aspexit. Qui dum lupum se īsectantem fugit, nihil propius factum, quàm ut vivo jugulum pręmorderet, nisi cursu ac lassitudine exanimatus Peregrinator, se in puteum altiorem demisisset. Quod videns ille, obambulabat,

labat, iratusq. circum-circa puteum gyros ducebat, frustra inhians prędæ.

MORALE.

Hac Fabula significat, decens esse, ut vel in extremo vitæ periculo animum fortem geramus; tum Providentiæ Dei omnia cōmittenda, quæ rebus sæpe desperatis, ex improviso, suis individuus comes adesse consvevit: Quod non tā Saeræ scripturæ, quàm Philosophorum quoq; & Poëtarum sententijs, patet. Sic Virgilius,

Dij, Iovis in tectis, casum miserantur inanem
Amborum, & tantos mortalibus esse labores.

DE MVSICO ET ASINO. 9

Musicus quidam Athenas profectus, ut Regi suo Symphoniacos pueros compararet, mercenarijs aureos pollicetur mōtes. Sed antequam abduceret, cantica Musicis notis proposuit, ut in canendo singulorum & vocem, & artem tentaret. Quod videns Asinus, ô meam ait Musice, imprimis te oportebat conduxisse artem. An non mobiles has, & prominentes vides aures? Quod si Musicorum

est,

est, in concentu minimam dissonantiam deprehendere, tam acutas fero, ut nihil supra: vox autem mihi tam gratiosa est, leniterq. sonat, ut Philomelę esse dicas. Hujus si non experimentum facere tędet, audi. Hîc asinus, totius spiritus sui collecta voce, haud modicos tremulo fundens è gutture cantus, adeo tonabat, ut nemo illam dissimilium vocum harmoniam intelligeret. Tum Musicus, Nunquam me herclè magis vocalem audivi vocem, Archadicum vel superas asellum, qui totũ rudens clamore Cœlum complet. Abi, atq. in hujusmodi te jacta aula; Asinus Asino pulcher erit.

MORALE.

Notantur illa turpi confidentia infames, qui præterquam propriæ laudis præcones sunt, quod stolidissimum est factum, etiam qualiacunq; sæpe sua somnia, tantoperè vel peritissimis rei, audent commẽdare: stulta persvasione quidvis sibi non promittẽtes; quorum mox aliqui metientes crassam imperitiam, dũ corrigi nolunt, suum sibi, suisque pulchrum esse sinũt, ut verum sit quod scribit Flaccus:

Turpia decipiunt cœcum vitia, aut etiam ipsa hæc
Delectant.

DE ASI-

DE ASINO ET CABALLO. 10

DORSO clitellas Asinus ferebat longè impares : id procul Caballus ubi conspicit, qua iter haberet Asinus, perrexit; qui tum oneri, flexo succumbens genu, ingemuit graviter, & voce Caballum sic compellavit, accede, accede inquam, assiste, en miserandum aspice Asinum. Ille, ne tu miserabilis omnibus, at mihi irridendus videris; qui servile jugum non dejicis : excute. Alta sanè Asino hoc integrabat suspiria, quibus quum viam implevisset, optimè, respondedat, id facerem, si mei juris essem : nunc autem, quæ dantur ab hero, ferenda.

MORALE.

QVOD SORS FERT, FERENDVM EST ÆQVO ANIMO.

In eandem Commentarius.

CVM sit medicina animi Philosophia, planius hujus Fabulæ explicanda vis est, ratioq. enuntiationum danda paulò fusior. Etenim nunquam tantis tẽpestatibus maris navis jactata est, quantis jampridem incommo-

dis humana vita abundat; quum qui in præsenti, tamq. ærumnoso vivunt sæculo mortales, nec in salutem, nec in antiquum rationis gradũ se restitui posse sperent, a quo per immensitate malorum depulsi sunt. Vt ergo iis in tot rerum angustiis subvenirem, & ne ulla malorum fortuna amplius infelices possit reddere, statui eos hac mea Fabula adhortari, rationi & necessitati ut obtẽperent, cui omnes subjecti sumus lege naturæ. Quod sanè præceptum non solùm liberale, sed etiam fructuosum est. Nihil enim ad vivendũ vitam tam adjuvat beatam, q̃ si boni cõsulas, quicquid mutare non potes. Hoc licet arduum est, & nulli penè factu possibile, dum inter humana luctatur, nos interim talem gerere mentem, quantumq. possumus semper decet contendere. Scilicet, quod minus possumus, saltem cogitemus; tum sensim discamus perficere, cui natura non dum assuevit. Nunquam nõ votis, animiq. promptitudine tantum opus incipiamus, ut orsis, Deus successus det prosperos. Meminerimus satius esse, ad quævis vitę incommoda sequi, quàm trahi; & ad hæc si movetur animus, virtute humanæ rationis stabiliat (quanquam molesta) necessitas. Nam optimis non assuescimus, nisi adhibeatur aliqua vis, quę ꝙ prius erat violentum ac proinde grave, mox jucundum reddit. Quod si fecerimus, certum invenimus telum, quod nunquam potest fallere. Bella nos gravabunt, at non terent; si facultates,

at minimè animum: hoc nobis egregius anim9 dabit; egregio natus in pectore. Damna ad hęc, dolores, ignominia, exsilium, carceres, rapinę, depopulationes, omnisq. temporum difficultas, etiamsi universa simul uno in tempore nos circum venient incommoda, tali affectu præditos non mergent. Ne oculos quidem circumferamus nostros ad ulla vitæ offendicula, quin potius hæc ipsa nobis usui sint; per quæ quilibet experimento credat, si perferet, se humanam supra sorte esse. Res & vita hominum subitos motus habet. Et hoc ipsum probaturus, non est opus, ut studiosè magna in secessu argumenta quæram; in promptu ratio est, cur aliter esse nō possit. Nam si principia illa, quæ ut e Græco vertam, elementa dicuntur contraria invicem confligunt; composita ex iis, parem sortem non habebunt? OMNIA secundum litem fieri, Heraclitus narrabat: qua sua sententia Philosophus nulla esse in rerum natura significat, quanquam aliqua existunt, quæ prope copulari videntur, quin secum eadem dissideant. Est tempus, intervallum mundi & motus, a sciente animadverti solet, quantum pręsens differt a pręterito & futuro? Quæ major temporis discrepantia inveniri potest? Solis verò Planetarum omnium medii, tum ipsius temporis dispensatoris, alternationes videmus dierum & noctium, id est, adventu suo diem, recessu noctem efficere. Quid Lunam commemorem, cujus accretiones & di-

minutiones, & quæ luminis sui vices variando disponit? Quid stellas, spatijs immutabilibus, ab ortu ad occasum commeantes? Quid æstus anni & frigora? Quid ventorum irreconciliabile bellum? Quid maris fluxus & refluxus? Et quod hæc omnia superat, æquitas, veritas. justicia, bonitas, cũq. his ceteræ virtutes (quamquam absolutionem perfectionemq. in ijs non desiderẽ, a quibus universi longè absumus) contra-posita tamen habent cum quibus belligerantur. Porro infinita illa, quæ tellus producit, quanta agit varietas? Rerum summa, bellum. Interea quum tam elementa ipsa, quàm reliqua omnia quę ex his componuntur, adeo semper variare demonstravimus, audebit aliquis dicere, ac si alijs editꝰ esset principiis, & sacrum atq. inviolabile telis haberet caput, tantæ vicissitudinis fortunę esse immunem? At si nati sumus iisdem seminibus, cur nosmetipsos, ut hęc, naturę non subjicimꝰ legibus? An nescimus tale quiddam esse genus hominum, quale foliorum, quę simul ac Veris afflaverit aura, ubere fetu exuperant, & Autumni tempestate ac sidere orto, in silvis cadunt? Immo minus quàm hoc est genus hominum. Nam quid Sophocles in suo Ajace? quid Menander apud Plutarchum? quorum alter nihil aliud quàm umbram atq. flatum, alter omnium, jure, debilissimum, hominẽ dixit. Ceteri, quotquot ferè fuerunt Poëtæ & Oratores, quàm multas de vitę humanę fragilitate cõparationes invenerũt?

Soleo eos quoties lego deligere, & vehementer admirari, quos tantùm instruxit ratio naturalis, sic in omnibus suis partibus cùm natura consentire? ut videar me hoc leviter istos interrogare posse, qui feliciter rem sibi omnem venire cupiunt, unde vitæ felicitatem metiri posse arbitrētur. Num a rebús, opinor, omni in loco & tēpore prosperis, ut indócti quidam isti beatitudinem vitæ interpretantur. Cur enim hominibus Deus hoc exsilium dedit, quàm ut juga mundi virtutum officiis superent; qua de caussa etiam videmus ad sapientiam pronos, veram vitæ beatitudinem in eo collocare, si fortiter ferant adversa & prospera. Vita hæc, grande theatrum est, in quo si ante omnium oculos conspicuus esse vis, non terreat te labor necesse est. Et ut tranquillitas animi adsit, quæ adfert cùm constantiam, tum etiam dignitatem, Vigiles esse decet, atq. dispersos, vitę per incommoda, sensꝰ colligere, excelso animo. Nam ejusmodi sunt res humanæ, ut in eodem statu non durent. Nunquam vos ovis felicibus natos existimate. An ignoratis Poëtæ figmentū de duobus doliis, ex quibus Iuppiter variè miscet omnia? quid Iovem dico, quid nomen Deo muto? Poëtarum est fabulatio, quid hæc ad nos? figmēta sint nobis, quę dulcedine quadam sapientiæ fecunda, Hymetteum mel superant, & fabulosa remur quæ continent umbram veritatis. Sed explicatio Fabularum & enodatio nominum non-

ne delectabunt? ut sapientes moderatiq. viri religiosè dixisse videantur, per Iovem alium q̃ Deum Opt. Max. intelligunt; per dolia verò nonne apertè fatentur, humanam alternis vitam regere & moderari? Relictis imbecillitati suæ istis hominum turbis, horum potius æstimatione pergamus excolere vitam, ut perfecta virtus sit, æqualitas, ac tenor vitę in nobis, per omnia cōsonans sibi. Pudendum sanè, religione & decretis divinis haut negligenter cultis, domi tam perversam esse mentem, ut quoscunq. tandem videant casus felicitatem aliquorum reprimere, iidē tamen ad experientiam excitare nō valeant, vitæ humanæ sortem variam esse atq. mutabilē. O delirationem incredibilem. Cur malum, ut Ethnicos ratio, ita imbutos fide non flectit? Cur hoc est tam obscurum atq. cæcum? Si ab aspectus judicio remotum esset, fortasse concederem; nunc non item. Nam vetus est quod dico, & propter frequentiam exempli, nemini nostrum non cognitum. Medicus morbum ingravescentem ratione prævidet, insidias Imperator, tempestates Gubernator, & tu animi tui Medicus, omnium perturbationum tuarū Imperator & Domitor, corporisq. proprii Navarchus, solus (maris ubi vastum tibi hoc æquor arandum est) noctesq. diesq. stertis? Ita cuiq. comparatum, esse censes in ætate hominum, ita Deo placitum in hac vita, voluptatem ut mæror comes nunquam sequatur? Quid? q̄ Angero-

nia

ña olim erat Voluptiæ proxima? Neglige hoc pacto teipsum servare quòd si tempestatib9 nullis obnoxium credis. At si hic perpetua non est, ullius rei felicitas, quin incommodi plus maliq. ilico adsit; rerum vides humanarum levitatem. Quòd si levitatem & inconstantiam, manus extrema accedat operi, & præclarè quod inchoasti perfice. Quòd si ex damno vel accepto incommodo æger animus se contrahit, optimi Philosophiæ consilii adhibe medecinam, & si contra hoc frenũ æquè manet agrestis ac sævus, tũ impera, ne pravi tenax ex alto te præcipitet. Quid hominem ita tranquillum & jucundum reddit, ac quieta mens? Nonne repugnando qui sibi est contrarius, præcipuum totius vitæ suæ amisit solatium? Cui tam stupidus per nervos in totum corpus diffusus est tactus, ut hoc non sentiat? Sed unde sæpe homini ista adest pugna? Nescis humani animi motus, qui huc atq. illuc rapiũt, & quamlibet in partem trudũt mentes, ruuntq. impetibus crebris; Scilicet labore, pugna illa omnis exigenda ex animo. Pro tranquillitate vitæ haut debet terrere labor, sed postquam natura fragilitate sua humana inficit pectora, certandum est. Si liber esse, & beatè feliciterq. vis vivere, quod vecors postulat fieri affectus, exclude, acerrimeq. consilio ac mente resiste. Quando nostra nobis parũm placebunt, nec pro voto licebit ditescere, Senarius Proverbialis occurrat,

VT POSSVMVS, QVANDO VT

VOLVMVS NON LICET: et qua sententia nihil dici potest, nec venustius nec moralius. QVONIAM ID FIERI QVOD VIS NON POTEST, ID VELIS QVOD POSSIT. Nam ut possideas quæ sunt perfectissimæ libertatis, & ut animi virtus in te sit stabilis fugiente fortuna; utrum perferre est levius malū; voluntarium, an necessar ū? Si voluntarium, quod cum ratione dicendum & sequendum, quæ libido, vel quæ dementia sic nos incitabit, ut nihil perferre volemus, nisi ad quod cogit necessitas? Sin necessarium, ꝙ quidem mea sententia, ab omni judicio alienum est, cur coacti nescimus rectè facere? Excellentium virorū virtutē semper imitatione dignam putamus, sed ad memoriam revocanti, tam Romanorum, quàm externorum aliquot Herôum laudationes, ex omnibus, quos fortuna lusit, nullus tam clarus, aut tam celebris esse visus est, quàm magnus ille Syriæ Rex Antiochus: cui quidem spes amplificandæ fortunæ amplior, at afflicto & jacenti animus abjectior non fuit. Non quòd Apollini Delphis, aut Minervæ ad Ilium sacrificasse narrant, SED ob hoc ejus mihi gratior est memoria, quòd Regem aversata fortuna, inauditū propè virtutis & sapiëtiæ exemplū reliquerit. Nam omni cis Taurum Asia privatus, ꝓtinus ad philosophiæ imaginem, animi pepulit dolores, ut etiam Romanis tum victoribus insignes egerit gratias, quòd tantas ferentem Regni

sui

ſui ſolicitudines, ad mediocria redegiſſent. Quis circa fortunam eſt adeo indifferẽs, ut ſusq. deq. ferat? Facetè quidem ille, ſi non ex animo loquutus aut ſimulatè, etſi nemo eſt, qui nobis ſapientius perſuadere poſſet hoc ipſo, meditata eſſe oportere vitæ incõmoda. Omnes in eo doloris aculeos ratio in maximam voluptatẽ transformabat; nam præter conſolationem, fortunę, quam ex tyrannide cœpit, aliam cauſam vir ſapiens expreſſit, cur etiam imperiũ quòd ad hoſtes tranſiſſet, æquo ferret animo. Magnam vim eſſe in fortuna in utramq. partem, vel ſecundas ad res vel adverſas, dixit Cicero, cui ego ſentẽtiæ addam; FORTVNA CÆCA CÆCOS PLERVMQVE EFFICIT QVOS COMPLEXA EST: Quos verò bonorum vel famæ jactura pungit, illis contra fortunæ ſtimulum animus fit neglectior. At hic omni in loco ac tempore memorabilis, etſi Regni imperio ampliſſimi potiretur, & leges & jura præſcriberet, nunquam cum humanis rebus meretricandi admiſit volũtatem. Nam ut proſpera moderatè uſus fortuna, ſic minus tenebrarum offudit illi adverſa. Quòd ſi Regẽ in omnia rerũ miracula voluiſſet transformare, credam, ſponte ſua, quamcunq. formam fuiſſe recepturum. Ex quo nimirum nos intelligimus, ab injuria fortunæ nosmetipſos vĩdicare non poſſe, ſed Philoſophiæ præcepta eſſe utilia, decora, efficacia, quibus, in nos inſilẽti, fortiter decet reſiſtere. Ergo ſi quid dederit

magna eſt habenda gratia, at non inſoleſcendũ. Si ſemel data repetiverit, ſuo hoc poſſe jure facere, vera ratio eſt. Si verò nihil de nobis meruit, nec a nobis auferet. Is demũ vitam æqua lance penſitabit, qui ſemper memor fragilitatis humanę fuerit. Quod maximè Philoſophia docet, quæ fatetur fortunam eſſe fallacem, ſcilicet nihil eſſe certius, quàm incerto in tempore homini accidere poſſe incõmoda & pericula, quo nomine quælibet adverſitas intelligitur. Nunc ut hoc tempore quæ fortuna tam Regiè ceu potius Tyrannicè in nos ſtatuit prætermittam, in tantis tenebris & quaſi perpetuis Reipub. materiæ eſt hujus conditio. Etenim Fabulatorem, fortaſſe Philoſophum, at Oratorẽ non agimus. Quamquam procul dubio in his tẽporibus excluderentur, ſi ſoluto animo omnia vellem ſcribere. Tanta eſt rerum omnium calamitas, ut conſolator ipſe confitear me miſerum. Sed quid melius? quàm in mediis vitæ laboribus patientiam oſtentare, & ita conniventẽ conſciam recti mentem gerere? Habemus ubi nos viros oſtentemus. Sine querela moriamur, & in hac planitie de patientia certemus. Hoc pacto qualecunq. jugum erit ſuave. Sin aliter, neceſſariè feremꝰ, quod ferre expedit voluntariè. At vide, in hoc quanta ſita ſit differentia? Hinc noſter aſinus, clitellas fert, juſſu petituq. heri. Obſerva ſingulare jus quod ſubjicit alterius imperio. Animus cultꝰ ſit Philoſophia, doloris dies tranſibit.

ibit. Subigas ingenium opus est, ut agrum nō semel aratum, sed novatum & iteratum. Hæc satis.

❡ DE FRAXINO ET SERPENTE. 11

FERVNT Serpentem malle in ignem insilire saltu, quàm vel modicùm esse sub umbra Fraxini Quare ad eam Serpēs tanquam rem perniciosam reformidans, in silvis pulcherrimam, execrationibus miris devotionibusq. impugnat. Immissæ post pluvias noxię a Iove Erucæ: has ut e terra invidus per truncum prorepere in cacumen cōspexit, & folia universa abrodere, illi insolens esse animus, atque adeò magna lætitia gestire cœpit. Fraxinus autē Serpentis ista odia non sorbebat solùm, sed etiam concoquebat, inquiens, tu, qua nuc lætitia pfrueris; quibus exultas gaudiis? quanta in voluptate baccharis? Stulte, spoliatam me quidem meo decore esse fateor, novo quotannis vere redeunte; ceterum imperterrita, virtus in me antiqua manet, te hostē magnanimum opperiens.

MORALE.

Non

Non potest fieri, ut mali non fugiant bonorum contubernium, quare etiã quo pejores quiq;, hoc in bonos iniquiores. In bonum autem & sapientem nõ refert quàm multa conjiciantur tela, cùm nulli sit penetrabilis. Sapientis enim animus tam solidus est, & id roboris collegit, ut ne afflictissimis quidem rebus spẽ aut consilium abjiciat.

DE ARBORE ET SIMIA, 12

Simia in arborẽ crebrò insultabat, in eoq; maximè irridebat, quòd verticem haberet aridum, & vix tenui fronde virentem: dignam, inquiens, quam unà cum stirpe colonus evellat. At illa vitium, per tempus excusabat, magnas & stridentes sępe Aquilonis tempestates perpessàm, ac fulgure quoq. penetrabili, aliquoties de cælo esse adustam. Ideoq. ætate floridam, colonum viriditate sua mirificè delectasse; nunc verò annosam, certo naturæ ordine arescere. Quamquam hoc incommodum non tam grave sibi accidere, ut quæ non minus nunc, quàm olim, se gratam esse colonò cognorit. Licet enĩ frondosa corona non sit, attamen nunc pro tot foliis, totidẽ lectissima quotannis dare poma, q̃ non tantùm oculos, quantũ palatum afficiant. Ineptè facere Simiam, cui forma tanti est.

Mora-

MORALE.

Cavendum maximè adolescentioribus in hac vita ne senes & ætate provectos, quibus forma minus est gratiosa, præ se contemnant. Lubrica admodum res, forma venustas: at ter veneranda canities, cujus quidem rigida species; sed majores multo consilij, & prudentiæ sunt fructus, non tam privatis, quàm etiã Reipub. frequenter, domi forisq; necessarij.

DE OLITORE. 11

Olitor cùm ver crescẽdo ad ęstatis initia recurreret, secũ cogitans, quî illi hoc evenisset, ut manus tam callosas haberet; ex difficili esse labore reperit, quem agello suo per multos annos impenderat. Quare cùm tẽpus adesset aptum precibus, docta prece blandus, cælestes implorat Deos, ut sibi posthac ætatem otiosam & quietam liceret sine ullo labore traducere, atq. adeò spõte sua agellus hic fructus produceret. Annuunt Dii, ea lege, ut non solidum illi, sed ceteris quoque omnibus hoc beneficium parerent. Lætus exultat Olitor, tanquam Cræsi divitias adeptus. Dein viridantes omnes agri ultrò, omnium fructuum primitiis divi-

divites fiunt: frugum ad alimoniam, annus suppeditat bonam copiam. At Olitor ubi proventus reditúsque suos experiretur vilitate annonæ decrescere, Deos hic ne fieret quod precibus antea contenderat, obsecrabat. Faciles & hoc devoto Dii concedunt. Ad ligonem redit rusticus, magno labore victum quæritans.

MORALE.

Nihil est quod in tam exiguo vitæ curriculo, & tam brevi, sine labore, natura dedit mortalibus.

DE QVERCV ET VVLPECVLA. 14

QVERCVS olim ingentes tendens ramos, sereno cùm se patulam & multùm apertam vidisset, ex adverso posita vitis, per Castorem, inquit, forma mihi mala non est, quę glandem ferens præstantissimam, & pastum suibus procuro, & quum tellurem sol largo calore adurit, alta fronde, proceribus ramis ac umbra, venatione vel opere aliquo æstuantes reficio. Ætate verò cedo ar-

borum nulli: annosa enim dicor, vastitate omnes supero, robore universas antecedo: quid multis? dignitate præcello; nam quæ Iovis dici & esse mereor. Vnum quod si concessisset Iuppiter, ut mihi flexibiles curvarentur artus, & animi pulchritudini totius corporis responderet venustas; Nodosam posthæc, degenerem, sparsisque palmitibus humi repentem, si cultura absit, protererem, tum dentibus ac calcibus impeterem vitem. Quòd audiens Vulpecula, frigus captans sub Quercu opacum, ô ait, quam tu fastidis, vitis longè te præstantior est. Quamquam fungosa totam replet medulla, & robore est inferior; Deorum tamen atque hominum gratiam evicit: Diis falerna libans, hominibusque mentis vim inferens, cujus guttam pluris facio, quàm mille baccarum tuarum modios.

MORALE.

Optimum homini tributum a natura, est ratio, quæ in animo sita est, auro quovis ac forma pretiosior. Quid enim corporis & fortunæ bona in se virtutis continent, maximè indicant hominum fastus & voluptates. At ratio, nos primùm ad Dei cultum, dein ad jus hominum, quod situm est in generis humani societate, tum ad modestiam, magnitudinémque animi erudit:

Auctor

Auctor Cicero.

DE POMARIO ET RVSTICO. 11

CVM sub Autumni tempus, quo passim fructus colligũtur, Rusticus pomarium quendam vidisset, nuces bacillo feriẽtẽ; cur, mutilatis arborũ ramis, ait, juglandes quatiendo decutis? Respondet Pomarius, ut per cõtinuos annos magis sint fructiferæ. Rusticus, eo quoq. majores fidens sibi jam accessisse opes, ꝓproperè abit domum, inq. agro omnes consitas arbores arrepta sude lacerans, suis pomis spoliat. Sed cùm uberioris postea proventus, spes illum fefellisset, quòd arbores mollioribus istis ramusculis privasset, qui ineunte Vere, gémumulas floridas ferunt, noviq. fructus principiũ sunt, causam a Pomario postulat, cur, cũ quantum potuisset, arbores a se tusæ essent, tamen raros adeò fructus darẽt, minusq. cœpissent in patulas luxuriare comas? Quia non percussisti nuces, inquit ille: hinc festinatæ stultitiæ tuæ grande hoc damnum fers.

MORALE.

Puero-

Puerorum ingenia dignoſcenda, ac perſpiciendum in primis quonam modo tractandi diſcentium animi: ut enim non omnium arborum una eſt natura, ita nec ingeniorũ omnium una paritas, una æqualitas. Eſt puer alendus ambitu, ut Quintil. verbis utar, quem honor excitat & præceptoris mordet objurgatio: eſt porro mentis tam illiberalis, ut verberibus magis, quàm objurgatione ſit opus.

DE QVERCV ET MVRIBVS. 16

NONDVM repertis frugibus, mures famelici bruma non invenientes quod corroderent, in ſilvam abeũt paſtum: ubi dum vident Quercum glandem ferentem optimam, rogant & monent eam, ut miſerta generis Murini, communi jam inediæ opitulari velit. Quod ſi faciat magnam relaturos gratiam, contrà, depaſtam arborem turpi facie relicturos. Riſit Quercus & ſprevit illorum minantia verba: ne caſſa glande, inquiens, juverim. Tum ira, ut ſolet, animos ſuppeditante, mures vindictam cogitant. Nocituri, confertim arborem ſcandunt, bacchantur, ſæviunt, hoſtilia exercent. Quercus autem, nunquam tam graves, ob hanc rem, ſecum ratus ſuſcepturos inimicitias, Iovis ſupplex opem poſct, Pater, vo-

ciferans, mihi jam fer ritè auxilium. Ille Aquilonem mittit, qui tanto molimine luctatur, tantaq. vi nodosam agitat, ut de concussà arbore mures pluere videretur. Hic Quercus ob tantam stragem hostium factus lætior, illi nihilominus, redintegratis animis & viribus, in extremis suis rebus operam navare, militares sine tumultu collocatis præsidiis, Quercum obsidere, & acrius impugnare incipiũt. Muscum amarę corticis distringunt, ac arboris truncum morsu perruptum, demoliri student. Quod ubi sentit Quercus, vultis ergo, inquit, inter nos quid possumus utrinq. experiamur? et cui apta ad hoc vis est, antiquam fidem Aquilonis implorat: ilico insonat æther, exiliunt cavis elisi nubibus ignes, & ramos vi sua e Quercu avellit, quorũ ruina, Mures vulnerat. At Mures tanquam e saxis nati, multis ictibus, clamant, dejicitur Quercus: fraude & dolo, novum aliquot moliuntur, tectos cuniculos agunt ad radicem arboris, quare dum Aquilo crebris procellis pro Quercu stridet, suffossàm magno fragore evertit, illi verò Quercũ tum vincunt, ac depascunt.

MORALE.

Contemnenda haut sunt odia multorum, etiamsi fuerint alioquin imbecilles, & quorum singulos quivis facilè superet. Iuxta illud Ovidij,

Et

Et quæ non prosunt singula, multa juvant.

DE OVE ET PASTORE. 17

OVIS Arietem peperit, tenellulo delicatiorem hædo: qui postquam factus est grandis, vas in quo pabulum erat, cornu frequenter petebat. Hoc Pastor indignè ferens, per sanctum juratus, dicit, Osyrim, ni caveas posthac, scelestum lanionibus vendam. At flocci pendens Aries omnes minas, quum Pastor idoneam illi de novo pabulationem porrexisset, non vas tantùm, sed & ipsum cornib9 incessit, & nutricationis mercedem persolvit.

MORALE.

Taxat Fabella, vulgatam adolescentum asperitatem & ingratitudinem, adeò vt vix unum reperias, qui superioris meminerit officij, vel qui utilium consiliorum non sit contemtor. Sic Horatius,

Cereus in vitium flecti, monitoribus asper.

DE VVLPE ET GALLO. 18

CANITIES in Vulpe maturescebat, & annorum gravitas velocitatem pedũ tardabat, quum famelica, Gallo struxit dolos. Fasciola cinctum crus sibi esse fractum simulat, atq. etiam lacrymando exponit, quantopere pænitens esset, quod toties tenero Gallinaceorum pullorum sanguine suos dentes cruentasset. Porro utrinq. nunquam intermorituras volebat pacisci indutias. Atqui ego respondebat Gallus, gratias tibi ago, quamquam renuntio pactionem bellicam & hostilem, quam tu perturbares perjurio. Vulpeculæ quidem vetulæ pilos, at illius mores animumq. versum non video.

MORALE.

Detractoris immedicabile vitium; qui si aliquando amici personam induat, ingenium tamen suum atq. nativam nocendi indolem remittit nusquam. Nemo enim, secundum Senecam, fictam personam diu ferre potest: quare etiam & hic citò in suam naturam recidit, planè illi contrarius, cui mutuæ vera vis fidei subest, & qui ex solido enascens, tempore nullo amicus esse desinit, sed in majus indies meliusq. procedit. Vel, Senecta canitiem adfert improbis non item malitiam.

DE VVLPE ET SIMIA. 19

Vulpes

VVLPES Simiam apricantem derisũ veniebat, quòd nudas & frigidiores glacie nates haberet: quæ irrisionis patiens, inquit, tua magis oculorum cæcitas ridenda est; quòd nates meas pilosas non vides. Vulpes, quo dicto, immoderatè cachinnari cœpit, ac petens simul, ut earum faciem ostenderet. Accipe, ait, pilorum haut egens sum, quia supplex nunquam pilosa esse cupivi.

MORALE.

Plurimùm habet, qui minimùm cupit. Pauper autem est, qui sibi videtur dives. Auctor Seneca.

In eandem Commentarius ad Divitem.

VBI jam Cræsus & Crassus; ubi Lucullus Romanorũ ditissimus, qui in quæstura amplissimum populo munus edidit? Vbi Midas Phrygiæ tyrannus, quos de tantis talentis jactat ætas? Ne decimam mearum opum possident. Vel Syracusanorum supero divitias. Neq. Pol Lysistratus ego sum aut Irus. Quos enim divites facis; qui se avidiùs in pecuniæ amorem immerserunt? Habet eos pecunia,

ineſt, ut nunquam ſatis excreſcant, omnium illorum vicos & prata contemno. Quid tu ergo adferes, dicent, ꝙ divitiis ac dulci lucello melius tranquillet. Ego in iſtis, ne minimam animi ſecuritatem experior, præſertim ſolicitudo quærendarum divitiarum & anxietas, hominem mente vel tranquilliſſimum perturbet. Neque tam imperitum puto eſſe aliquem, ut quid divitiæ ſint, non ſatis ipſe intelligat, ſi quoquo modo ingenio utetur fruetúrq. ſuo. Nam ſi his adjuncta eſt vitæ tranquillitas, quæ ad virtutis uſum valet: cur adeò multi magno conſilio viri, divitias, veluti ſarcinas & impedimenta, projecerunt? Melius quidem nihil tranquillo animo in vita hominum: ſed qui id quod non habet ſperat, quo modo animo quieto vivere ullo modo poteſt? Cũ inſatiabilem recordor divites exagitare rerum cupiditatem, non certæ inhærere cathedræ, ſed quibuslibet affectionibus obnoxios, veluti vagos, tota urbe diſcurrere video. Neq. tanquam Ideam, ullas intelligere poſſumus divitias, quarum poſſeſſione fit hominis animus quietus. Adeò prædivites ferè tenet auri & argenti importuna fames & ſitis; hanc ego credam incommodare magis quàm pacare hominis animum. Et, ut ait Seneca, pecunia non ſatiat avaritiam, ſed irritat. Sic inops, ad uberiorem paullò conditionem provectus, faſtidit fortunam, quam prius laudavit. Sorte verò lautiore vir præditus, nihil mediocre expetit, ſed

totos Pactolos & Tagos animo cōcipit. Certò ꝙ si queas rationis termino, tanquam fossâ & vallo, avaritiam circundare, divitias tanquam rem aliquam hominis animum exhilarare posse concedam. Alioqui, quò modo ejus quod non est, foris apparebit gaudium? ubi, inquam, vel divitiarum satietas, avari desideria satiavit? Hæc quum nulla copia minuuntur, iccirco talis dolet magis mens quàm gaudet, quia nnūq̄ eorū satis, quę cupit infinitè, consequitur. Scilicet quamdiu cupit, secura minus ac firma est: nam ingentes spes & cogitationes secum portat, quas statim lætitia si non sequitur, violenter mox opinionem futuri boni, metus pellit. Ex omnibꝰ pugnis quæ sunt innumerabiles, nonne hæc lōgè acerrima est? Mirarer hercle si tam exhilarata esset servitus ista. Abundè pecuniam & potentiam adeptum servum appellas? Quid ni. Nemo tam servus domino; quàm tu pecuniæ. Quo pacto? Servum de se bene meritum persæpe dominꝰ libertate donat: pecunia verò servum vitiis habet perpetuò pectus tuum. Nunq̄ aliquis ab eâ manumissus est servus; sed veluti in suos exercens Tyrannidem, onus onere cumulat; Ita ex scintillationibus hominem in teterrimæ cupiditatis ardentes focos, dira trudit. Quò te magis dedis, eò arctius, imperiosa, strictum tenet avaritię vinculis. Siticulosis, sitibūdi auget sitim, nec eam extinguit prius quàm vivere desinis: atq. ceu immanis Vultur Prome-

thei

thei immortale jecur, hominis pectus ferit. Nō juvant magis congestæ undiq. opes, quàm Tantalum Eridani aquæ & poma fugientia. Felicior Sisyphus apud Inferos coacto, adipiscendis semper bonis inhiare iisq. sæpe alienis. Neq. sordidę modus avaritiæ, neq. cupiditati satietas quam cum argento & auro omnia oppilavit; ut etiam tum de mendicitate queratur, quum qvas non divitias glutivit, majoris nimirum voracitatis q̃ Salamandra rigoris. Nam ut hoc animal ignem vel æstuantem tactu non aliter ac glacies extinguit: ita nihil est hujus quod famem sedat. Innumerabilia dabuntur devoranda jugera, ac totidem arces cum omni supellectile, mica tantū erit. Et si tota huic continget Provincia vix exigui panis frusti loco stabit, addas si etiam Bataviæ omnes magnas naves halecarias. Tandem in abyssum atq. Cælum perrectura, ut Neptuno tridentem & Iovi sceptrum auferat, si aquarū profunditas descensum, & vacuus non prohiberet aër ascensum. Ita nihil non affectat, nulla sacra habet, harpyarum princeps, de quibus Poëta eleganter cecinit, hunc in modum:

Virginei volucrum vultus, fœdissima ventris
Proluvies, uncæq; manus, & pallida semper
Ora fame.

Quamobrem dives non est qui plura cupit, nēpe opulentiæ ubi nō est satietas, copia nulla est.

MORALE.

In eum qui postea quàm diu peccavit impunè, tandem in calamitatem incidit juxta Proverb.

Incidit extremam in noxam mens improba tandem.
Vel,
Non fit sine periculo magnum facinus & memorabile.

¶ DE PATREFAMILIAS ET VXORE SVA LITIGIOSA. 21

PATERFAMILIAS tunicas consutas a Sartore probat, quàm sint aptæ, quàm decentes, deniq. quàm convenientes corpori. Congruentes alioquin admodum quum essent, notat sartorem breviusculas suis brachiis fecisse manicas. Hoc quoq. advertens uxor, vestis nonnihil vitio indignata; quare impos animi, in maritum hæc tam dirè evomit. Mentiris mentiris, inquam, splendidè furcifer, haut est breviusculas esse manicas, sed longiuscula tua brachia. Paterfamilias consuetam in uxore iracundiam ferens, rationis imperio se & vinculis & carcere frenat; ac ne audiat pejora, hoc esse simulat.

MORA-

MORALE.

Acerba multùm ac noxia viro bono mala mulier est: quæ assiduè litigandi occasionẽ quærit, & irata magno furore sævit. Sunt quibus tanta est innata animi perversitas, ut si impetus nullius est caussa, tamen callidè aliunde aliquid adferant, quo se justè commotas demonstrent. Ferenda hujusmodi uxor, non reprehendenda est.

DE MILVO ET CORVO. 22

MILVVS pastum quærens latifundia pervolabat: id Corvus procul ex alta rupe prospiciens, horrendum voce crocitat sua, Milvo vulnera cædemq. minitans. Contrà, Milvum qui nihil esculenti unquam ex funerum ferculis, nec Olympiæ ex ara rapuerat, crimen tam furacis Corvi exasperabat. Convolant: certaminis anceps eventus diu stetit, tandem superat Milvus rostro Corvum feriens. Ille ut se victum videt, Iaceo, inquit, satis jam hoc sit tibi; quòd si te miserescat mei, pulchrum argenti & auri acervum abstruso in loco constructum dabo, quem mea mihi dedit sedulitas. Tum Milvus, quid ais o sceleste se-

dulitas,

dulitas,cui mira furacitas eſt? Aut tu laudata ſedulitate parta dices quæ vel ex ara a Diis ſępe rapere non es veritus? pol, hodie tibi ſorbendo cerebrum exhauriam.

MORALE.

Vt laudatæ divitiæ ſunt ab omnibus, bonis q̄ cumulatæ artibus, ita deteſtandæ, ex furto aut rapina naſcentes. Sunt, qui eo ſecuritatis pervenerunt, ut unde habeant divitias non curent, quos nec pudet eaſdem liberis, tanquam patrimonium paterni nominis ac ſuæ memoriæ, relinquere.

DE VVLPE ET GALLINIS. 25

VVLPES gallinariũ crebrò infeſtabat, Gallus autem pvigil toties grave quiddam Gallinis inſtare, rauco denuntiat gutture. Protinus illæ alto clamore gallulare incipiunt, ac fugit tũ Vulpes, formidans vociferationes gallinarum. Sed cum prædæ nihilominus amore redire auſa, cautè in Gallinarium repſiſſet, Gallo iterum Gallinis ſomnum rumpente, ſimul omnes attonitæ, majorẽ multò quàm antea edunt clamorem. Quod audiens Paterfamilias

esse Apollinem dicebat, qui ista posset efficere.

MORALE.

Vetera præcepta Sapientum jubent, parendū tempori & qua nos ducit Deus esse sequendum, quo repugnante, frustra quævis humanum genus tentat.

DE BOVE ET CABALLO. 25

BOVEM arando defessum vehementer sortis suæ pigebat. Audiens hoc Caballus bellandi jam pertæsus, rogat Bovem, an forte sortem permutare velint. Placet, ephippiarius fit Bos, equitem dorso ferens; Caballus autem terram aratro vertebat. Porrò cùm tantopere adamata experirentur, cumq. oneris, freniq. insuetus tam acuta insuper calcaria Bos sentiret, novarū rerum appetentiam in se damnat. Similiter Caballus, vomere altius impresso, valde dum sulcaret anhelans, propter laboris insolentiam, quæ prius videbantur optima pro pessimis habebat. Quid multis, semel transacta, rescindunt: Caballus aratrum, Bos ephippia linquit.

MORA-

MORALE.

Notum est tritum illud, NEMINEM SVA ESSE SORTE CONTENTVM.

Rectius sic.

Ferendum esse, si quando obrepit vitæ genus incommodum, ut vitemus vitium illud, haut scio an maximum, quod Græci vocant φιλόκαινον, *cui comes alterum veluti germanum, quod* ἀψίκορον *vocant: ferè enim fit, ut qui præ sua aliam sortem appetat, multò deteriorem accipiat, quam mox fastidit. Quare elegans illud Plautinum,* NOTA RES MALA OPTIMA. *Nec intempestivè docet Ovidius,*

Quod malè fers, assuesce, feres bene, multa vetustas
Lenit. Quod & Erasmus *noster notavit in suis Chilind.*

¶ DE FVRIBVS ET PATREFAMILIAS. 26

CVM hyberni imbres & gelicidia essent, a cena, probè curata cuticula, advertens pessulatas non sat bene fores, Paterfamilias ne me aut fur aut latro aliquis dormientem opprimat, ait, cras quamprimum illuxit dies, curabo ut has deinceps ferratis trabibus obdam; tum

tum quæ posti defixa est sera, in aliam & novam commutem. Sed quod Patremfamilias latebat, talia dicentem coitu sese clandestino in tenebris occultantes audiverunt, qui ex furto, aut rapto vivunt. Illi rem auditam tacitè inter se agitantes, læti omnes inquiunt: nobis non prius furta tentanda, quàm est nota loci oportunitas. Vix tum se lectulo commiserat Paterfamilias, quin cardines audiret stridentes, quos e fenestris fures avellebant. Primùm ille circumspicere loca singula, mirariq. cœpit rei novitatem; dein ratus esse fenestram vicini, quam procella jactaret, ex animo suo scrupulũ omnem ejicit, ac membra annis fessa, molli exporrigit thoro. Fures autẽ ipsi strepitu ædito perterrefacti, paulisper cœpto opere desistunt. Sed quum omnes altè dormire fidebant, quòd nullum intrò vigilantis signum acciperent, redintegrant animum, ac præproperè per adapertam fenestræ partem insilientes, remotis omnibus a foribus obstaculis, iisdemq. quantum valebant patefactis, carissima quæq. pignora secum ferunt.

MORALE.

Gravissima nonunquam ex mora, non tam privatus quilibet, quàm Respub. habet dispendia. Quare ut verbis Ciceronis utar, plerisq. in rebus gerendis, tarditas & procrastinatio odiosa est.

DE PAVONE ET FLVVIATILIBVS VOLVCRIBVS.

FLVVIATILIBVS quum se volucribus associasset, omnis Pavoni chorus assurgit: qui tum, ut est fastus & insolentiæ plenus, eò magis se efferebat, quo plures essent volucres, quæ illi tantum honorem deferrent. Porro ut maximè in oculis omnium mirabilis esset, gallinaceos æquat gressus, & adverso sole auratam caudam, & pennas versicolores expandit. Volucres ad tantam pulchritudinẽ stupentes, triumpho Pavonem honorare constituunt, e ripa catervatim in flumen labuntur, symphonias cantusq. agunt, connatant, lusitant, atq. medio prius sub flumine se mergentes, mox iterum durissimo spiritu emergunt. Pavoni verò placebant quæ faciebant spectacula, & quo majorem omnibus sui admirationem faceret, videns quòd ex aqua exeuntes arerent tamen volucres, tanquam natandi quoq. perita esset, inter medias mediis exponit se undis. Atqui cùm, natura a natatilibus maximè differens, flumini se credidisset, tantam aquarum vim plumæ imbiberunt, ut præ pondere in profundum demergeretur. Quo viso volucres, quam modò a forma speciosa laudaverant, mox ut ineptam, stultam,

tam, & improbam cotemſeruut.

MORALE.

E Cælo deſcendit γνῶθι σεαυτὸν, *Iuvenalis. In quo modeſtiæ mediocritatiſq; cõmendatio eſt, ne nobis vel majora, vel etiam indigna ſequamur. Et inter Chilonis Apophtegmata*, NON ESSE TENTANDVM, QVOD EFFICERE NON POSSIS. *Quædam conſilia magnifica ſunt, ſed ob hoc ipſum inutilia, quòd* ἀδύνατα.

DE BOVE SAGINATO. 28.

TAVRVS libidinis impetu agitatus, in Iuvencarum greges laſciviens, per campos ſaliebat. Id per cancellos videns Bos, olim inquit idipſum valebam; ac licet ventrem tenuem, & pelle uſq. adeò perlucidum, brevi hic mihi procurabat ſtimulus, ut in eo ardentem facem abſconſam vidiſſet quivis vel talpa cæcior, illa tamen dulcedine in vita ducebam nihil eſſe ſuavius. Sed modò anteactam omnem ſua præſtantia longè hęc vita ſuperat. Procurat quod ſatis eſt herus, non bolum ullus eripit, tum plenò & diſtento ſemper ſum

ventre. Nil moror, ꝙ noſtrum genus tanti facit, ſi prurigine libidinis careo. Nam qui Deos & Deas delectat Cupido, caſtrato nullas amplius titillationes voluptatis incutit: quare hoc ipſum in me hodie pugnam nullam excitat. Iam ſi verba heri abblandientis referam, dũ ſcabit ac fricat molliter ſæpe, quæ dicit, narrandi vix erit tempus & locus. Sed quod bene memini, quicum gerebat arctiſſimam amicitiam herus, nuper limen ſtabuli ſubintrans, recepit probè ſaginatũ, plateatim per urbem, magno cum triumpho, ad Saturnalia ducturum: poſitis ab utroq. latere cuſtodibus, a vertice & corpore toto viridi dependente hædera, tum præcedente qui tympana tundet. Talia Bos ſecum ore volutans, vulpecula quæ e ſaltu ſalutem fuga quæſierat, in latebris ſubridens ait, næ in nervum erumpens, ad aras tandem iſta gloria finiet. Secutum quid eſt? Ad menſuram pabula porriguntur, obeſus adeò fit Bos, ut crurum tenus a mento palearea penderent. Iamq. Saturnaliorum appetente feſto, triduo antè ad triumphum adornatur, frigida abluitur, variorum corona floſculorũ ſuaviſſimè redolentium collo aptiſſimè circundata, ac ſacra exuvium hædera undiq. diſtinctum portabat. Adſunt ſtipatores promiſſi, Tympaniſta quantum poteſt ſtrenuè ædit ſonum. Pòſt, tota convolat urbs: hic faſtu magis ac magis intumeſcens Bos, mores, vultum, atq. inceſſus ſimulat. Poſtremò gyro peracto in officinam la-

nionis

nionis detruditur, ornamenta detrahuntur, mirari ille prioris viciſſitudinem gloriæ cœpit, donec quòd ſe ad umbonem uſq. denudaſſet lanio, & cotis, cultri, atq adeò ſecuris jam coram eſſent, non levem miſero ſcrupulum injecerunt, mox hoſtiam ſe litandum.

MORALE.

Errant longe, mea quidem ſententia, quorum animos laudis tituliq́ gloria perurit. Nunquam enim ſolida ſtetit ſuperba gloria: ſcias nempe ad finem perveniſſe, quæ ad invidiam perducta eſt.

In eandem Commentarius ad Glorioſos.

EX omnibus fragilis hujus vitæ vanitatibus inquirenti ꝙ maximè vanum eſſet, occurrit gloria, q̃ paſſim omnes, tanta cũ diligentia, tanto cum labore, deniq. tanto cũ ſtudio quærunt, ut nihil magis ſpecioſum ducant mortales, quàm ſi vivi bonæ & laudabilis famæ fiduciam præ ſe ferant. Quantulum autem id eſt, inſigni aliqua gloriola in vita perfrui, judicio & ingenio ſano præditus quis non videt? præſertim ſi quales ſint a quibus laudem petunt, & qui tanto pluris quam quanti eſt, æſtimant

gloriam, oculo non clauſo perſpicit. Admiranda ſanè in hoc confuſo vitæ Theatro rerum adeò leviculărum ſpectacula, quę pręſtigiis quibuſdam ſępe ſuis & captionibus, ab iis quę clara ſunt, hominum animos depellunt, ac oculos ludificantur, ut magna appareant & expetenda, quæ ſunt revera nullius pretii. Si exemplum lubet aſſumere, cui ſubeſt veri vis multi quanti faciũt gloriam; dum ſtudioſè quilibet, quantum in ſe eſt, tantę rei jacit fundamenta? ſcilicet aut animum conſulit, q̃ agitare vix poſſit humana cogitatio, aut aggredi molitur, quod factu longè eſt difficilimũm, quò ſi fortuna ſecundet, voto potiatur, & ad optatam metam pertingat. Sed introſpiciamus illorum dementiam, quos purpureo radians vultu gloria tantopere delectat? videamus inquam, poſitis velaminibus omnib9 gloriæ faſtigium; illi ſanè quæ ineſt virtus propediem intelligemus. Caduca ſequitur genus mortalium, nec certa, nec tuta res eſt gloria magis, atq. umbra fumi. Nam ſunt & fuerunt quos auram popularem & plauſus hominum captantes in diverſum rapuit invidia & caſus. Dum enim pro adipiſcenda gloria in conſilium ambitionem magis quàm ſapientiam admittant, in magnam calamitatem ſæpe ſperata laus vertitur. Licet certa eſſet, dum quo modo aſſequi poſſim9 gloriam, mente pertractamus, tantũ laboris tamen in re vaniſſima qui collocat, õnino improbum eſſe decet. Incerta verò quum eſt, ac du

bitare

k

bitare possimus meritò, nobis num aliquando continget, huic omnes ingenii vires, omnes tantosq. labores corporis, ac studiosè etiam sæpe numero omnia impenderemus munia? Stultissimis omnes, qui glorię tanto opere student, similes insanire docebo. Etenim stultitia quis erret, nihilum distabit, an effrenata gloriæ cupiditate? Vt enim stultus, intemperie cerebri vitiante actiones principis facultatis, ad quas se res dedit, ita amat prorsus, ut has præ reliquis omnibus habeat cariores, sed interim quę tanto prosequitur amore, vilia usq. adeò sint, ut ne animos puerorũ delectarent: sic qui in se cõcupiscentiam gloriæ non moderabitur, & relicta rationis certa gubernatione, ad gloriam proclivis fertur, solam ubiq., bonis verò aspernabilem, prę ceteris omnibus tanquam rem magnam, ac propemodum divinam, gloriam actuosè extollet. Fatuos ceu stultos memini vidisse multos, qui Crepundia pro mundo haberent, sed qui magis delirent quàm isti aucupes vidisse nullos? Stultus enim secundum stultitiam agit, at hic quàm decenter faciat, clamitare etiam audet, dũ se principem, & culmen rerum omnium quærere dicit, nempe nullam gemmam aut margaritam pretii majoris quàm gloriæ esse. Metiamur glorię ipsius delectationes, tum a consuetudine ejusdem virtutem interpretemur, scilicet, a clamore & plausu populi, experiemur brevi quod dico. In Magistratu nonnę pręcipuè gloria elu-

lucet; Nempe ubi eos inveniemus, qui honores, magiſtratus, imperia, poteſtates cuivis rei non anteponant? Sed ſi quos ambitio petiverit Magiſtratus eoſdem gerat, nonne per nefas id eſt cum gratia vulgi? Egregia ſanè gloria, vel inſidiis, vel etiam vi acquiſita, quam occupatori ignobile vulgus ſtabilit ſuo, quod ratione nunquam, nunquam diſcrimine, nec provida rerũ comparatione laudat virum, ſi quando vel prę̨conio dignum, & facinore aliquo illuſtrem cõſpexerit. Reliqui item cujuſcunq. tandem generis iidem ſint, qui aliqua in re nituntur excellere, quò bonam famam acquirant, quid aliud quàm vulgi venantur laudes? Tota vis gloriæ in vulgo eſt, ut tam potentiores, atq. ii qui ad cõducendos homines facultates habent, & Magiſtratus occupant, quàm qui in alia aliqua arte nituntur excellere, ſi vulgò erunt favorabiles, cogantur ejuſdem demereri benevolentiam.

Et quamquam vulgus ſit cupidum tui, ac multi ſint fautores laudis tuæ, attamen parùm callidè ad gloriæ ſpem attolles animum. Quæ læta nunc vulgi, mox triſtis facies erit. Robuſtioris improbitatis vulgus, prolato rerum ordine, præter ſpem, quod acclamare putabas, infeſtis ſignis ad te ire videbis. Obrepſiſti ad honores commendatione egregii facinoris, poſt horæ forſitan momentum, virtutis præmium invidia auferet. Haut ſolidè fortunatus es, quòd homines peragunt tuarum laudum prę̨conia, q̃

ſuapte

suapte natura firma non sunt, sed aliis adhærentia, & reciprocis motibus variantur. Qui in amorem gloriæ se præcipitavit, pejus perit, quàm si de saxo saliat. Tam arduum est inventu gloriæ solium, ac ita septum saxorum ingentium objacente mole, ut rari existant, qui non eò dejecti sunt, priusquam essent adepti. Immo qui apicem honoris nacti magna aliquantisper acquievere in gloria, præter temporum varietatem, & crebras fortunæ vicissitudines, cùm jam sibi diuturna illa ac magna impendere negotia metirentur, quæ prius affectabant, subterfugere maluerunt. Falsò multa in vita homines opinantur, tum hujus quoque rei pleriq. nesciunt veritatem; quæ enim virtus inesse potest gloriæ q̃ isti somniant? Plurimi nempe æstimant, dictũ aliquod suum aut factum perpetuum in ore hominum esse, quasi hoc nomine æternùm mansuri essent. At si rationem consultricem ac oportunam utilitatum omnium magistram, docentem audient; humanam fugient, quærent autem æternam gloriam. Quod non ineleganter significat Boëtius hoc Carmine.

Quicunq; solam mente præcipiti petit,
Summumq; credit gloriam;
Latè patentis ætheris cernat plagas,
Arctumq; terrarum situm.
Brevemq; replere non valentis ambitum
Pudebit aucti nominis.

Memo-

Memoria si cadere non vis, tum hominibus ne manda de te momentaneis. Communis hominum sors mortalis est, ne spera per eos semper te posse vivere. Virtutem affectare decet mortalem, & quidem gratuitò, immortalis qui esse vult. In omni actione, ex qua q̄ritur gloria vel commodum, miserrima omnium ambitio inest, quæ per speciem virtutis nonnunquam industriè excrevit in altum; at ubi proditæ sunt insidiæ, quæ in simulatione actionis latebant, vitant eam omnes, & quum viderint, tanquam malum auspicium detestantur. SOLA ergo Virtus est quæ solidam gloriam parit, hæc contemnenda, ac nihili humanarū vocum præconia ducens p se contenta est, propriis nixa radicibus. In tempestate sæva, quieta est; &, ut Ciceronis verbis utar, lucet in tenebris, & pulsa loco manet tamen, atq. hæret in patria, splēdetq. per se semper, neq. alienis unquam sordibus obsolescit, Neq., si vel provideat prudenter, vel agat constanter, vel responsum acutè ferat, exultat insolenter; sed suorum civium salutem quærit, ad quos ex susceptis laboribus fructus redit. Nam benefacta sua, in luce collocari non vult, ut ea iactet; sed jucūdissimam recordationis habet voluntatem, eaq. contentus est; quod verum virtutis est premium.

DE LEONE ET BOVE. 29

CAPELLÆ per juga montium, & dumosas rupes, pastum quærenti occurrebat Leo ferox, quare trepidare atq; orare supplex illa cœpit, ut non innoxiam se discerpat. Ille mansuetudine utitur in supplicem: q videns Bos, de Leonis clementia varie secum ipse dispuabat. qui cùm dentibus etiam privatum atq. nullo robore esse præditum existimasset, immensis suis fretus viribus, Leonem ad pugnam provocabat. Sed dicto citius in eo cõgressu Bos perit. Tum precanti admodũ ut & sibi jam vellet parcere Leo respondebat, haut quaquam, jaces tu nunc quidem degener, atq. hæc ira, quæ ex pugna mecum inita, animum generosum stimulat, ad dilaniandum te ferocem reddidit.

MORALE.

Taxat Fabella eos qui potentem ac ferocem in suum ipsius exitium provocant.

DE VVLPE ET MARMORE. 50

VVLPES quum ex lapicidina marmor excisum repperisset rubrum, candidis intervenientibus maculis, hilaritatem magno-

magnopere laudabat. Quid, inquiens hoc saxum preter cetera nõ delectet? An aliud aliquod quis novit formositate jucundius? quod si ut ornatu suo prestans, ita nactum esset artificem, nõ ad sepulchra tantùm, quamlibet potentissimorum, quantùm vel ad ipsius Iovis, Deorum omnium Parentis, construendum templum aptũ esset.

MORALE.

Probo ac felici semper ingenio, preceptor quęrendus erit idoneus, qui moribus & disciplina instructus, quo sanè in hominũ vita esse potest nihil melius.

DE IVGALIBVS ET AVRIGA. 81

IVNCTIS Auriga equis, magni ponderis clitellam curru vehebat, flagello insonabat, ac verbere etiam torto, pronus illis lora dabat. Fremunt acres, & tanquam novi atq. intractati sagitta ocyus currunt. Non jam frena, non scopuli, rupesq. cavæ, atq. objecta eos flumina retardabant. Repente quum hoc tumultu Auriga esset perculsus, blanditur, plaudit atq. applaudit, & manibus & voce simul popysmata ferebat.

ferebat. Iamq. ſtabant ſonipedes erecti, frenaq. feroces ſpumantia mandebant. Tum aliquantulum manſuefactos ratus, pòſt, quantis potuit viribus, freno compeſcebat, at nihilominus onere prius cum Auriga excuſſò, illi ſcopulis curriculum illidunt, atq. ita confringunt.

MORALE.

Qui vi & quadam animi libidine dominantur, non jure & legibus æquis, ſed per inſolentiam, Imperii viribus abutuntur, & ſuam ipſi & aliorum vitam in magnum ſæpenumero diſcrimen adducunt: etenim his ferè magno in populo oritur ſeditio, & favore creſcit, qui motus difficilimè componitur, quippe ignobile vulgus honeſti, rationiſq; atq; omnium tum immemor cæco furore ſævit.

❡ DE AQVILA ET GALLO. 52

QVVM in nubibus eſſet Aquila reliquis avibus ſublimior, æmulum nacta eſt Gallum: diſcordiarum hinc principia. Sed quum pernicem quoq. repente advolantem eminꝯ & corripientem cruentam prædam vidiſſet, Gallo in prœliũ animus ſurgebat. At Aqui-

la. Quin potius amicitiam amicitiæ, & socium socio nectimus? An quòd minor sis, mecum quia sum major, prœlium usq. habes? Hæc audiens Vultur, dissuadet ne se cũ Aquila glutinet. Quamquam viribus sit inferior, licere tamen contendere: his elevatus prior in certamen Gallus animosus descendit. Contrà stabat Aquila, acutè in hostem intuens. Ibi Vultur secum; si pergitis, certa mihi præda est. Sed tu Galle, priusquam venias in periculum servere an perdas totum, potentiori cede.

MORALE.

Rectè dixit Pytagoras, æqualitatem esse amicitiæ tum parentem, tum altricem, contra inæqualitatem inimicitiarum gravissimarum litiũmque matrem: quod planius multò ac melius Euripides docet in suis Phœnissis.

VEL,

Perniciosa in homine æmulatio, quæ rivalitati perquam similis est, si eo quod concupierit, alius potiatur, ipse careat. Auctor Cicero in suis Tuscu.

VEL,

Detestandi sunt magnopere, qui inter magnates dissidium volunt, quò sibi consulant.

DE

DE APRO ET CERVO. 33

CERVVM, cui nativam inesse prudentiam ferunt, ad fontem properantem, ut sitim frigida saliente restingueret, comitatus est Aper: prior Cervus venatorem prospicit, pharetra, levibusq. sagittis celerem, Quare ocyus terga vertebat: risit Aper, ac Cervum timiditatis vehementer incusabat, inquiens, an formidoloso strepunt omnia? Tu qui juxta semitas paris, quò tutior sis a beluis, nunc unius hominis vultum formidas? Vix se in stabulum Cervus receperat, Venator cornu canibus signa dat prędę. Aper volutabrũ petit, illi odorabantur omnia & pervestigabant, sed tum fortè volutabro non pellebant. Exeunte verò silvam Venatore una cum venaticis, Cervúm requirit, exponit quanto fuerit in periculo. Cui Cervus, egregiè tu callebas? num inexpertus jam divinavi verum? Minimè respondet Aper, certum prospexisti.

MORALE.

Sapiens multùm semper prospicit, atque ex præteritis & præsentibus colligit & annectit futura. Auctor Cicero libro primo Offi.

DE PE-

DE PEDICVLO ET PVLICE. 64

CONSTITVERANT inter se Pediculus & Pulex, ut deambulationem pomeridianam cõficerent in urbe. Alter in alterius concedit ædes, & quum crebro complexu se mutuo excepissent, prodeunt in publicum. Pediculus gravitate non modica, Pulex in gressu, saltu superbo utebatur; perq. diverticula euntes colloquebantur, ac salutantes etiam blandè obvios quosq. suo more resalutabant. Dein quum deambulando fessi, secreto in loco paululũ cõsedissẽt surgũt,atq. unde discesserant, sermones ducendo, ut antea, revertũtur.Ibi Pulex inter cetera, incredibiliter comitis sui incensus amore, me Hercle inquit, meritò omnium vermiculorum primus haberis. Nos terræ pulvis miseros produxit, at divina tui generis sunt principia; nam ex humano capite, nobili stirpe natus, cui, quæ in universo mundo sunt, natura semel omnia subjecit. Quòd si licet nobilitatem singulorum narrare, haut tenui tu crevisti origine. Ad illa tum pediculus, nec glorior nec te aspernor, quia a summo descendi genere, sed te juxtà ac me habeo. Te enim tellus produxit, illum verò, a quo tam pulchra ortus semina

na habere me dicis, e limo terræ hominem natura finxit, qui tanto etiam me ac te odio prosequitur.

MORALE.

Omnes boni semper nobilitati favemus, & quia utile est Reipub. nobiles esse homines, dignos majoribus suis, & quia valet apud nos clarorum hominum, & bene de Repub. meritorum memoria, Cicero pro Pub. Sest. Porro quo major nobilis eò magis se modestè & commodè gerit: qui autem propter generis sui nobilitatem insolenter exultat, æquum est ut in memoriam revocet, nec aliam, præter communem habuisse nativitatem, nec solum mortis evasurum se tendiculas.

DE CARBONE ET CRETA. 35

INTER Carbonem & Cretam vetus erat atq. antiqua simultas, quòd Creta candida, ille tam ater esset. Quare Iovem judicem adiit, ut multorum scelerum commemoratione, Cretæ concitaret invidiam, accusat, quòd auri vorax esset, ut quoties alius pecunia alium juvat, toties illa pro mutuata injustam computaret u-

ſuram, quæ opinione celerius recurrit. Et ſi quibuſcum pacta eſſet; ad diem condictũ non præſtarent, tũ in jus traheret, ageret, poſtularet, repeteret, ac vinceret, pòſt õnia raperet, átque auferret ſæpe, ah ſcelꝰ, vel dormituris culcitram. Pecuniam ex pecunia produceret, tanquam naturales terra fructus. Hinc eſſe tantam obæratorum copiam, quos cũ tantæ ſervitutis tædet, Iupiter e ſublimi videt, moliri etiam ꝙ turbet Rẽpublicam. Quòd ſi pergat ſolam tandem, omnes habituram divitias, atq. orbis totiꝰ homines conductitios: Contrà quòd ſi repreſſor Iupiter peſtiferam e medio tollat, fore deinceps ut melius ſe habitura ſit humani generis ſocietas. Iupiter hæc audiens, non perſuadebis, inquit, ne ſi perſuaſeris quidem.

MORALE.

In Sycophantas ac delatores, qui vera falſis permiſcendo, nectunt calumnias.

DE HIRVNDINE ET RVSTICO. 36

VERIS prænuntia atq. adeò garrula tignis nidum ſuſpendebat Hirundo, ova pariebat, & progeniem incubitu fovebat.

bat. Rusticus, sub cujus tectum nidificabat, quo tempore pullos jam excluserat, celeriter tigna trabesq. scandebat, & pullos auferebat. Furtivos summa cura educabat, pauperem enim hoc solicitabat, ut Hirundines ad cantus institutas, venundaret. Sed cùm nihil minus quàm hoc illi succederet, ira concitatus, in rudes aciter cœpit stomachari. Siccine domesticas hospitii, & operę atq. etiam impensæ meæ, nulla relata gratia devolaturas hinc speratis? Quin cato potius devorandas, objicio? Cui id minitanti ex Hirũdinib9 una respondebat. Quamquam in tectis versamur nunquam humano convictu mansuescimus, nec tactũ, nec consuetudinem, neq. ullius rei aut disciplinæ admittimus communionem. Ergo, inquit Rusticus, Hirundines nunquam sub eodem tecto habebo.

MORALE.

Magis sterilem operam sumit qui pro beneficio a vulgo gratiam exspectat, quàm salsuginosa arat littora. Etenim, ut ait Seneca, inter plurima vulgi vitia, nullum est frequentius, quàm ingrati animi; dum neq; accepti beneficii memor, neq; ullam superiorum officiorum habet rationem.

VEL;

Quæ intractabilia, quave domari se non permittunt ingenia, ea nullâ juvat quantumlibet di-

retur, lectulo secum decumbentis jugulo, memorem impressit dentibus notam: quò tantopere Ovis perterrita, ut Lupo repudii libellum miserit.

MORALE.

Dulcis inexpertis cultura potentis amici,
Expertus metuit.

Non est amicitia, amicitia quam cum potẽte habes. Etenim inferior qui est, ob nihil aliud cum potente exercet amicitiã, quàm quòd se spectat. Potentis autem animus est intractabilis, quæ res quantũ habeat discriminis ac malorum, non facilè deprehendas, nisi facto periculo. At amicitia vera, æqualitas; tũ ea semper faciẽ magis q̃ personã præstat.

DE AVRO ET STANNO. 58

STANNVM olim in sterili loco & mõte, p̃ Auro se extollebat, quòd aurum vena pfundiore lateret, & gravitate & pondere suo directò deorsum ferretur; ipsum autem esset metalli genus, in editiore montis parte a natura tanquam principem locatum. Cui placidè Aurũ respondebat: singularem pone superbiam, ne

currente retrò laus eat tua arrogantia. Quid multis? dum hæc jurgia habent, qui metallis effodiendis & purgandis operam dabat fortè supvenit. Primùm ille Stanni quantam potuit vim collegit: dein una ex metalli vena, aliam juxta esse intelligens, auri quoq. infecti tandem multa abstulit põdera. Quæ postquam edax ignis excoxit, & omne vitium exudassent, quod in fornace subsidit; ex utroq. servat; atq. Aurum, ut ex eo diadema splendidũ conficiat, nobilissimo aurifici, Stannum verò tradit fusori formandum in vas, in quod vesicam ventremq. exoneraret. Quo facto, Aurum, quid apertius? & tamen modò tibi surgebant cristę.

MORALE.

Superbia ac nunquam ferenda in bono viro animi elatio, aptissimæ Reipub. gubernatrici modestiæ cedant, submittantq; fasces cui sapientes omnes se submittunt.

DE FELE ET MVRE. 39

MAGNO silentio & multo speculatu, levibusq. vestigiis felis in musculum exiliebat; qui deprehensus, equidem

merui,

merui, inquit, nec mortem deprecor. Sed tantillus ego, qui famelicam sedabo? Eia mitte me, & ex horreis sub terra mihi constructis concinnabo atq. ad te deferam munusculum, quod latrantem stomachum bene leniet. Dicto statim credidit Felis; contrà, permisso laxamento utitur Musculus, lętusq. ad sua antra redit. Itaq. non multò pòst se ludificatam sentiens Felis, facti penitens jurabat, nunquam in posterum ex dentibus incolumis Mus vel pusillus evaderet.

MORALE.

Monet Fabula, ne incerta pro certis habeamus.

VEL,

Si semel quis fallat, perfidiæ decipientis par est ut imputemus, verùm semel experti; nunquam eidem fidem habeamus.

VEL,

Deflecti potest ad quodvis promissum, cujus fides præstanda non videatur.

DE PARDO ET VULPE. 40

FERTUR Pardus gratissimum spirare odorem, cujus suavitate feras illectas capit, laceràtque. Hujus itaq. quum ad odorem

& pellis elegantiam magna ferarum pars accurreret, anxia Vulpes subſtitit. Quo viſo admodum ſe iraſci ſimulat Pardus, atq. incuſans Vulpem, inquit, innoxium me quid horres; ceteriſq. quadrupedibus unicè charam, ſola cur ſubterfugis fragrantiam? Cui Vulpes, mentior, ſi te magis quid odorum dixerim, ſed pellis tua me terret, variegata tot maculis, quæ non levem meo animo ſcrupulum injicit.

MORALE.

In eos qui non amant ex animo, ſed benevolentiam oratione præ ſe ferunt. Memores ergo Epicharmij illius eſſe volo õnes qui ſe novis amicitijs implicant: NERVOS ATQVE ARTVS ESSE SAPIENTIÆ, NIL TEMERE CREDERE.

DE TESTVDINE ET MVSCIS. 41

BELLVM gerebat Teſtudo cũ Muſcis, quare Muſcarum condenſa in eam involat acies, & ad certamen multis provocat injuriis; quæ tum quoq. vindicandi ſe ſtudio ꝑdit. Sed ubi exeruiſſet partes aliquas, quodcũq. nudaſſet obnoxiũ atq. infirmum habere ſe ſenſit,

sit, donec collecta in suum tegumen rediret, tuta pôst ad omnes ictus. Hinc dimicandi occasionem illis esse sublatam dolentes, Muscæ acriter insiliunt in testam, ferientes, tundentes insigniter. Sed postquam earum non esset ulli pervia, antę fabri incudem malleus, quàm istæ suis ictibus testam penetrent, Testudo se nihil curare Muscas respondit.

MORALE.

Vis consilij expers, mole ruit sua, Horat. in Odis. Animus autem virtute ac philosophia munitus, nihil plus timet fortunæ incursum, quàm Testudo Muscas.

DE AQVILA ET STRVTHIOCAMELO. 42

REGINA avium, quam Poëtæ Iovis alitē ejusdemq. armigeram appellant, p̄cipiti mox & longo descensu per aëra in terram labitur: & de via respirantis latera avium tum universa soboles cingit ac stipat, non sine voce maxima, maximam gratulationē huic faciens. Tantæ ac lętæ illius acclamationis admirator Struthiocamelꝰ, pennas quas ei natura ad-

didit,

didit, ut ad currendum adjuvent, movet; qui nec multò pòst inter mediam avium cohortem gloriosè se dedit: & sibi quoq. æquales honores postulans dari, quia aviū maxima esset, ac pennas haberet, quæ variis coloribꝰ infectæ pileatos adornarent. Annuunt omnes, sed si in æthere alis pendere queat. Atqui hoc ipsum expertus, a terra quum ne latum pedem tollere se posset, en alteram, omnes exclamant, Aquilam, & ironiæ convicia addentes, quid tu aliud, ajunt, q̃ telluris inutile pondus, iners & inutilis avis.

MORALE.

Non quidquid Tagus aureis arenis
Donat, aut Hermus rutilante ripa,
Aut Indus calido propinquus orbi
Candidis miscens virides lapillos,
Illustrant aciem: magisq; cæcos
In suas condunt animos tenebras. Boët.

Ergo per Aquilam, doctrinam, quæ rationis semina munere concessa Dei promovet, artiumq; illarum cultum, quæ faciunt, ut mortalium pectora nullam non naturam lustrent, & capto tanquam potiantur mundo, astrisq; proximè accedant. Per Struthiocamelum, mundi hujus fortes & pulchro corpore, adhæc divites intellige, qui quidem videntur p̃cellere, sed rationem in se nec illustrant nec excitant, & quasi vinctam infimis telluris in cavernis, abdũt:

DE

DE CANE HERILI ET VENATICIS. 43

CANIS herilis, servitutis pertæsus, vitam deplorat suam, quòd nũquam cum venaticis unà per apertos campos esset expatiatus. Rogat ergo herum, ut cum ceteris in venatu abesse liceat, idq. sibi jam pro merito postulat dari, quòd nemo per tot annos clarius aut tanta vociferatione bestiam vel furem prędicasset, quàm ille latratu: nemo famulus amantior domini, nemo fidelior comes, nemo custos incorruptior, nemo excubitor vigilantior, deniq. nemo ultor aut vindex fuisset constantior. His commotus herus, postulata Canis sui admittit; exeunt pariter in saltus venatibus aptos. Quid multa? Primùm feram nullam sentiunt, pernoctant venatores in nive, inq. montib9 uri se patiuntur magna fame & siti. Mane prospiciũt errantem in silva ursum, fit comes, & cursus ab alto, laborant, acriterq. sudant quò teneant cõseptum, comprehendunt, latrant & mordent Canes. Contrà repugnacem admodum & informem illi experiuntur, dũ mox ingruit, cõtraq. Canes exurgit, atq. eos vitiat, tantaq. funera, magnamq. dat stragem. Sed interim ita pugnantibus, exterritus aliò Canis declinat herilis, pro-

prios lares repetens, magisq. custos domini, q̃ venator esse eligens.

MORALE.

Dulce bellum inexpertis, expertus metuit.

VEL,

In eos qui omnia certa & honesta negligunt, dummodo potentia consequantur, ac dum sunt populares, tanquam florentes & potentes per forum student volitare: Sulmonensis illius vatis, prorsus immemores sententiæ,

Vive tibi, quantumq́; potes prælustria vita:
Vive tibi, & longè nomina magna fuge.
Vive sine invidia, mollesq́; inglorius annos
Exige, amicitias & tibi junge pares.
Crede mihi, bene qui latuit, bene vixit: & intra
Fortunam debet quisq́; manere suam.

DE PYRO ET ARBORIBVS LITIGANTIBVS. 44

FLANTE Zephyro Pyrus fructuum ubertate adeò incurvescebat, ut furcas huic subdere esset necessariũ: ad hoc proximæ submurmurant Arbores, quæ invidere videbantur, tantam uberioris proventꝰ felicitaté. Quid

Quid multa? Litem cum ea habent, in jus vocant ac repetundarum agunt, dicentes, quòd ipsæ modò sine fructibus starent, sibi vicinū admodum esse Pyrum, quæ contra leges, sua poma ferret. Pyrus teneri se negat, quod cùm illę acriter replicassent, colonum jubent sententiam pronunciare: ille in sequentem annum jūdiciū differt, nam videre se ajebat, in hac caussa frustrà eas litigantes. Pendet lis interrupta, minæq. ingentes uttinq, cessant, donec novam æstatem exspectarent. Ea nata, ecce sese transformant actrices arbores in miraculum, tot ac tanta annua cultori poma referunt, ut eorundem copiæ & ponderi cederent; edura verò Pyrus ne fetum dat adultum. Gaudebat colonus insitiva decerpens poma, autumnalia, atq. ubi nunc inquit, quę vobis Pyrus surripuit poma? Caussa caditis. Nunc vos natura voluit producere centuplum.

MORALE.

Divinitus contingit, ut idē homo nunc magni fiat, nunc abjectus, contemptus, despectus sit ab omnibus, juxta illud: Ξὺν γὰρ Θεῷ πᾶς καὶ γελᾷ καὶ ὠδύρεται.

❡ *DE CICADA ET FORMICA.*

QVVM primùm gelidos rores Aurora remitteret, nova Cicada, messi suę tantopere deditam videns, his verbis Formicam alloquitur. Quid te soror, inutili frangis labore? veni, veni, ad ęstiva poti9, jam pulcher floret annus; quin simul pascimus rorem & cantu nos delectamus? Cui tum, multa mentiuntur cantores, formica, i tu & lambe rorem ac sine me, non semper æstas erit.

MORALE.

Diligentia & labor, adhæc prudentia nostræ Formicæ, artium, ac bonarum litterarum amatorib9, studiosis Adolescentulis, imitanda est; quibus utile non est, ut diuturnam capiant animi relaxationem, si p̃sertim, falsa quadã spe voluptatis injecta, aliquis ad eã suadeat. Hinc nos omnes monet Ovidius.

Tempora labuntur, tacitisq; senescimus annis.
Discite, eunt anni more fluentis aquæ.

¶ *DE FVRE ET CATELLO.* 48

PER fenestram clanculùm in ædes Fur introierat, multũ latrante Cane, quem her9 domi alebat. Hic ne latratu cogeretur re infecta

infecta abire, Fur Catellum blandissimè appellat, & pane porrecto demulcet. Catellus tam diu tacet, quamdiu ille res heri sui non attingebat: verùm quum ut ferret secum aut abduceret aliqua niti videret, tum non strepitu, sed clamore maximo insidias hero structas significabat, atq. in hostem abeuntem latrabat. Tuum serva tibi panem scelesté. Equidem tua posthac mihi suspecta sunt munera.

MORALE.

Quadrabit in hominem avidū lucri, qui ementiendo veritatem cùm dictis tum factis simulat, quò sibi non aliȷs sit utilis. Hoc genere hominum, ut nihil infelicius, ita nec quidquam detestabilius est,

DE AVLICO ET RVSTICO. 47

RVSTICVS Aulam transiens adeò validè pedebat, ut crepitu ruptam illi vesicam dixisses, & quum facti veniam nullam postulasset, Aulico sagacissimè olfacienti, & quòd coram se hoc accidisset indignabūdo respondit. Quid est, bone, quòd in naribꝰ non æquè gratus sit hic pædor, quàm tui odor unguenti?

MORA-

MORALE.

Suus cuiq; crepitus juxta unguentum olet, divinum odorem spirans, ut habet Proverbiũ. At qui agricultura Rusticus nihil habet melius, nihil uberius, nihil dulcius, nihil homine libero dignius.

¶ DE ADOLESCENTE PROCO. 48

FORMA deperibat puellæ egregius Adolescens, facilè amorũ, pulchritudinis, voluptatumq. omniũ Deæ: nihilq. aliud ambiebat, quàm ut authoritate patris fultus, colloqui cum ea liberum atq. integrum esset. Concessit prudens Pater postulationi suę. Adhęc splendidam regali apparat luxu mensam, quò futuri sui generis propagatoris, mores cognoscat. Notat manum sæpe aleam jacere solitam. Nam e Pavonis ossibus, quam Poëtæ Iunonis tutelæ assignarunt, Adolescens jactis in orbem, ad instar aleatorum, ludebat. Hic tum, nunq̃ te faciam filiæ meæ maritum. Nam dum hæc ageres, formam ac gratiam ejus fastidires.

MORALE.

Rectè

Rectè dixit ille, Studia abeunt in mores; Difficillimè assueta linquimus, rerumq́ malarum cõsuetudo, homini comes semper esse solet.

DE ALEATORE. 49

ALEATOR in Ganeo impurus versabatur, domo Aleatoribus referta: hic magno de quæstu gloriabatur, inquiẽs, ô quantam ego hodie vici argenteorum vim. Ludibrium Aleator fortunæ, in pessum mox abit; & vix hora; quin fortunæ victrici cedit. Quare murmurat, obloquitur insigniter: ceteri rident commilitones, ac festivè admodum illi, Multa cadũt inter calicem supremaq́. labra.

MORALE.

Vitam hominum casus fingit, atq́ adeò rerum omnium quadam est vicissitudo.

IACOBI BRASSICANI COOL ROterodami aliquot Facetiæ.

LECTORI SALVTEM.

QVAS SCRIBO LECTOR FACETIAS, D. *Hermannus Blienburgius, cum quo mihi arcta est amicitia, collegit primùm. Dein posiquam ille ipsus illarum curam mihi demandaßet, sunt a me facta dißimili oratione ac stylo. Quòd autem in lucem prodeunt, Typographus est, qui violenter extorsit. Consultò mythologiam non adjunxi, quia hoc illarum natura non poscit, longeq. distant a Fabulis: facta enim vel dicta in se quorundam continent nuda & aperta, sine ullis fictionum involucris. At Fabulæ figmentis longè petitis fucoq. a conspectu remotam, integram, & veram doctrinam involvunt. Citra scurrilitatem easdem tractamus, & nobis lasciviæ cœniq. teterrima cùm sit spurcities, eandem Ganeonibus prægustatoribusq. libidinum concedimus. Porro Lector humanißime hilari fronte quæ gratuitò & non gravatè damus accipe, ac vale.*

Semper Candidè.

I.

IN PHRYSIA INFERIoris Germaniæ provincia nobile erat par conjugatorum, qui se mutuò tantopere amabant, exemplum omnibus ut essent. His verò antiquus humani generis hostis, tantam morum simillitudinem, animorũq. conjunctionem atq. concordiam invidebat; nihil relinquens intentatum, quò ipsos ex novo & ardentissimo amore, in rixas conjiceret. Sed efficiendi hoc, quum nulla spes esset, consilium capit, ꝙ illi pro sacra Ancora unum adhuc supererat. Auxilium petit vetulæ, acerbæ & noxiæ mulieris, cui se daturum tunicam pelliceam spondet, si per eam cœpissent fieri discordes. Precor, quid tum illa adhæc? Dabis, inquit, quæ mihi pacta est tunica, atq. ego vicissim tibi hoc confectũ reddam. His ita transactis, mulier vel ipso Dæmone arte fallendi peritior, primùm, blandissimè maritum salutat, dein sic orsa est. O verè felicem cui huc usq. vitam cum uxore licuit suavem & jucundam traducere. Næ conjugio vinctus es cũ ea (laus superis) quæ te amet vicissim ex animo. Sed felicitatem hanc nullius momenti putabis, si quę te clam sunt fortè cognoscas. Nescis quòd sol

quotidie alio Cæli momento, quàm pridie oritur? Hoc dicto, scrupulum haut levem mariti animo movens, abit. Simillimè uxorem atq; maritum prius excipit: esse in pace conjugatos vehementer laudat, & volens cum cupiente ubi cubat, rem ibi fieri narrat in primis voluptuosam, præterea jactat mariti nobilitatem, prædicat pulchritudinem, admiratur decentem & aptam compositionem membrorum. Deniq. patrem commenta dolum, facinus ab eo perpetratum scire se simulat: quod jussa dicere, modis omnibus recusavit. Quid multis? Pestilentis ars vetulæ utriusq. animo magnum mærorem & suspitionem zelotypiæ incutit. Convivantes, limis invicem aspiciunt oculis; fervere quoq. minꝰ & frigere prorsus incipiunt complexus: cujus rei caussam ab uxore maritus postulat. Illa tristitiæ impatiens ac lacrymans, teneo, inquit, modò, quàm me non ex animo ames, & vereor ne te alia perfruatur quem ipsa amo. Atqui Maritus simillitcr ex verbis vetulæ, suspicans de uxore aliquid mali, graviter eandem increpuit, ut res non solùm ad verba, verùm etiam ad verbera tendere videretur. Ibi exultans Dæmon, structi amantibus doli pactum vetula præmium ab eo petit, quod ille non tardè præstat. Sed tunicam pelliceam promissam ex longa militis hastà suspensam vetulæ eminus porrigit, quæ ob hoc factum indignabūda quærit, num hanc præter meritum daret Dęmon? Nequaquam respōdet, sed

tia fallendi dexteritas atq. adeò nequitia me terret. Etenim vafricie, qua ego ab initio rerum malè apud homines audio, vincis me longè, ac multò es præstantior. Siquidem quod ego tanto tempore nequivi, facillimè expedivisti tu femina hoc negotii.

II.

MARITVS mirè vafer, qui quum omnium vicinorum sermonibus sentiret se vapulare, quòd verberibus cæsam, uxorem domo pepulisset, purgare se statuit iisdem per insignem dolum. Morbum ad desperationem fingit, volens uxorem habere comitem, atq. in ægritudine ministratricem. Sedet tacita ad jussa Mariti, qui mox ut assurgat vult, & sellam ante focum collocet, in qua nonnihil hæreat. Imperata agit, quin & sorbitiunculam tenuiter decoctam ægroto sedenti uxor largitur. Atqui ille si me, inquit, incolumem vis, magnum vas potius presso lacte para, quod & volebat ut panis atri frustis admodum densaret. Cõmuni sensu præditum negat uxor, qui talia fieri postulat, & morbo tam inclementi, ait, minimè hoc esse conveniens, nihilq. minus laboranti naturæ aptum. Contrà Maritus intonat, nec audit deprecatricẽ, sed vult pro imperio. Quid hic aliud putabis fecisse uxorem, quàm equum

aut asinum, duri clitellas heri dorso ferentem? scilicet õnia ad prę̃scribtũ curat. Post tale principium concepti sui sceleris dimidium nactus, mea uxor, inquit, in certam devenissem mortẽ, ni hæc õnia sedulitate & benevolentia tua essent effecta. Nunc ergo saluti meæ perge consulere. Officiosa, interrogat, quid est, quod tibi mea sedulitas efficere hoc possit amplius? Hoc solũ ille, ut te hisce meis armis induas, atq́. altera hoc manu scutũ ostentes, altera hunc feras gladium. Tum uxor, stultam me adeò non poteris infatuare ut hoc faciam. Tandem blanditiis victa Mariti, ut est molle gen9 mulierum, armata prodiit. Quod videns scelestus ille, repente tantos edebat clamores, ut catervatim vicini in suas ædes concurrerent, ante quos lamentabili voce suam deplorat sortem, inquiens, videtis modò optimi, uxorem antea a vobis tantopere laudatam, magis fera erga me immitem esse. An talis sorbitio debili stomacho convenit? An non quidquid ejusmodi est, cum certo mei periculo apponitur? & de hac nisi sumpsero, isto gladio quem manu versat, meam de me vitam auferet. Quibus cognitis, uxoris detestati non ferendam superbiam vicini, Mariti vehementer dolebant vicem. Sed ille sceleris sui gaudium in sinu capiebat, hoc pacto ab obtrectatoribus se vindicans.

LAV-

III.

LAVTISSIMÆ fortunæ Paterfamilias nec minus festivior, notos suos & familiares in cenam adducturus, vult ne uxor argento parcat, sed ut obsonet ampliter, & sumptum faciat. E drachmis illa decem acceptis, vix integram in obsonatum insumit. Sed emit minutiores & fluviatiles pisciculos ex ovo recẽs natos, quales cato devorandos projicimus. Redeuntis ergo e foro Paterfamilias urnulam accipit in qua jacebant, ut videret, qualia convivis apponeret: ubi sentit pisciculos, indignatur; at illa, quid te malè habet o bone, quòd si parvi, gratissimi saporis sunt, nec quidquam argenti locavi tam diu usquam æquè bene. Nam veneunt propter penuriam magno, adeò ut piscarii ex iis magnam argenti vim cudant. De hoc experimentũ faciam, ait, ut erat lepidus. Dein domo repente evolat, cum pisciculorum urnula, quas in ædibus fabri ferrarii admodum sibi vicini, super incudem cudendos effundit, adhortans servos, ut strenuè operam navare velint. Intellexisse enim ex uxore, piscarios in foro ex his aurum cũ argento cudere, quòd si & illi hoc contingat, se amplissima daturum bona. Servi cachinnari ac subterfugere incipiunt, sed hic postquam urgeret, jussum exequentes, cuden-

do neq. auri, neq. argenti teruncium prodit. Quamobrem illinc abiens cũ uxore ſtomachatur, & alta mente dolorem cõcepiſſe ſimulat, ꝙ cùm rei, tum ſpei, in quam temere eſſet conjectus, feciſſet pariter jacturam.

IIII.

VETUS eſt proverbium, Quò major artifex, eò majores levitatis de ſe præbet notas. Quod pictoribus uſu venit, de quibus ſermonem inſtituam. Convenerant fortè fortuna e diverſis locis Pictores ſeptem, artis ſuę peritiſſimi. Hos ob arcanam ingeniorũ cognationem, erga invicem, ingens protinus amor invaſit. Cenulam volebant ſimul capere, etenim hoc genus ferè hominum, compotatiũculas ita amat, ut terra imbrẽ. Sed nulli ne uncia quidem in hanc rem ſuppetebat. Nihilominus dum inceſſiſſet cupido bibendi, diverſorium adeunt, ꝙ Pictores frequentare ſolebant, publicum; in quo aliam poſt aliam vini amphoram pitiſſant, maneat, ſæpiuſpule iterantes, hæc cura hoſpitem. Interim illis in mentem venit, eſſe in urbe adoleſcentulum prædivitem, penicilli juxta amantem, ſed adhuc paullò imperitiorẽ, hunc concipiunt fallere. Accerſunt, accerſitus tanquam voluntarius adeſt. Tum demum nugantur affatim, majoribusq. variantibus pocu-
lis,

lis, Io Bacche cantant. Tandem cùm potatum esset satis, impensarum exigunt calculum. Aureos Caroleos sex vino insumptos audiunt. Illi dabuntur clamant. Sed Pictorum illorum elegantissimus si vultis jam, inquit, ut in unum nostrûm caput recidant, fœdus sanciamus sacrum, ipsum eos annumeraturum hospiti, qui a me latæ legi solus refragabitur. Nulli non placet, sed & adolescentulus hoc ipsum a consodalib9 laudare cogitur. Statuit, PICTORVM QVI MINVS ARTIFICIOSE LINEAM TRAHET, CAROLEOS DICTOS SEX LVITO.

Pro rato promulgationem habent, dein quilibet diligenter navat. Veniunt ad adolescentulum pingendi vices, in quem, circumventum maximè rati, omnes advertebant, qui soluta crumena magnum Coronatorum aureorum protulit numerum, quos in directum ordinem composuit, statiq. ad se retraxit, jam cedam, inquiens, si quis alius vestrûm hoc fecerit. Victos se dant, & qui fallere volunt, infidelitatis ipsi culpam ferunt, dum pro symbolo hospes pallium detrahit.

V.

RELIGIOSVS quidam cœnobii sui res studiosè procurans, obviam factus est militi inani marsupio, qui orat viaticum

aticum ut det ſibi. Negat ille, non tam tenax q̃ theſauro timens, quem occultatius gerebat; affirmans ſe adhuc a Colonis ne teruncium accepiſſe. Miles ſpe fruſtratus; ergo, ait, reverende Pater in vicinum hoc ſacellum nos cõferamus, orandi gratia, ne hic dies ſine quæſtu abeat, atq. ita inter nos ſtatuamus ut ex æquo utriſq. cedat, ſi quid Deus nobis largiri dignabitur. Alio hoc renuente, hic importunè inſiſtit, ut cogeretur planè in dictum ſacellũ concedere; alioqui fortè tam de crumena quàm ſua vita fuiſſet actum. Et procumbentes, miles comitis auro inſidians, hic jam, ait, ut res inter nos ſine dolo geratur, volo uterq. crumenam ante altare deponat. Gravatè primùm, dein ſuam quoq. Religioſus promebat. Iam quum ſubmurmuratum ſat eſſet, tentant ſi quid Deus dediſſet; læta Religioſi crumena nummis turgebat, militis verò reperta eſt inanis. Quò gaviſus Miles, partiamur, inquit, theſaurũ quem donavit Deus propitius, & gratam illi feramus mentem: cõtra quem ne hiſcere quidem Religioſus audebat, ſed theſauri ſui dimidium ei conceſſit,

VI.

DIVERSA ut ſunt hominum ingenia, ita gentilitio oriundus genere, religionis ergo, Hieroſolymam proficiſcitur. Appulſum,

Appulsum, patria & vernacula lingua, ac titulo ad familiam accommodato, honorificè ibidem mendicus excipit. Rem novam stupet Nobilis, vocat in suum diversorium Mendicum, ut quis & cujas sit intelligat. Adveniente, tibi o bone, ait, in vita unquam mecú aliquid intercessit amicitiæ? Vniversum ferme peragravi orbem respōdet alter, & novi e quo sis prognatus parente nobili & patriam simul & arcem tuam, in palude sitam, insuper quod ac quantum apud tuos potens exerces imperium: nec rarò me abs te, dum ibi essem, elemosynam accepisse memini. Quare addit, si vicissim mutuam vis cujuscunq. numismatis pecuniam, ne quid fortè ad longum iter desit, præstabo sine usura, vel ad centum auri vel argenti pondera, donec repetitū veniam. Nobilis dato chirographo oblatam accipit, præsentis peregrinationis memor: favente domum rediens numine, post longum tandem temporis intervallum, mendici adventum rescivit, nec mora quin ille ipsus pulsat fores. Ianitor quid vis, interrogat, ceu quę placent? Arcis hujus herum, loquitur, cupio conventum. Ianitor ad illa, prandet; da tum inquit mendicus illi, hoc chirographum, quod in fidem alicujus perscribsit. Quo lecto, Nobilis a prandio assurgit, magna humanitate ac benevolentia pannosum intrò ducit, & ad vitam communem in illum mensam cōfert, idq. gratia sibi præstiti olim beneficii, qui gratiis actis, tanquam leve, tantum

sprevit

ſprevit beneficium, ac mutuo reddito, poſtmodum eſt vagatus, habens libertatem quovis auro potiorem.

VII.

SCVRRAS duos in Italia excitavit neceſſitas, ad diſcendas fraudes, quò citra magnum laborem poſſent genialiter vivere. Magna ibi, æſtu præſertim, enaſcentiũ muſcarum nec minor pulicum vis eſt, imo tanta, ut incolę ad eas abigendas inſtanter in menſis uti flabellis cogantur. Quamobrem hi radicem arboris aridam in ſubtiliſſimum pulviſculum conficiunt, quò populum tutum fore, adverſus muſcarum pulicùmque morſus promittunt, menſa medio foro ſtructa, in qua tam utiles merces collocabant. Quæ cùm ipſis nõ infeliciter caderet venatio; nam in fallaces merces magnam pecuniam collocatam a populo acceperant: Tandem emunctæ naris homo & ætate & prudentia maturior, ex pulviſculo emptũ veniens, quomodo pulicibus hoc eſſet dandũ quęſivit? Tum unus nummis manu repente ſubductis, alter inquit, aperto prius, ori pulicum hoc quidquid eſt ingere, quo dicto mercator in magnum ſolutus cachinnum, his fugam ineũtibus, populo notam fallaciam fecit.

VIII.

CARCERIS carnifex Prætoris, cujus erat officiũ ſontes punire, medio in foro circumforaneum agebat. Magna ille ilico ſtipatus civium multitudine. Etenim paſſim ferè creditur lictores Chirurgia optimè curare, ſi vel luxata & locis ſuis membra ſunt ſoluta, vel ſectione & uſtione morbis opus eſt. Quũ ergo hic extemporali quadam loquacitate in aurẽ ſemper õnibus garriret, quanta polleret arte, vicina in urbe qui ob furtum factum virgis cęſ9 & ſtigmate erat notatus ſe medio dat e populo, atq. a circumforaneo ſcire poſtulat hoſpitem apud quem diverſaretur. Etenim occultati9 morbum ferre, quem nolebat omnibus ut notus eſſet. Circumforaneus facilè & hunc curaturum affirmat, modò placeret adire ædes, quas in urbe proprias poſſidebat. Nam eſſe in iis aptũ ad tempus commorandi locum, donec eum morbo levaſſet. Se & tabernam ſimul cũ Chirurgiæ arte exercere. At neſcio inquit alter, ubi illæ tuæ ſũt ſitæ ædes. Ad quæ circumforaneus; e regione id angiportum, quod non eſt pervium, ingredere; ibi, ubi mearũ ædium aditus, palus in terram eſt defixus, amphoram ferens. Tum Peregrinus abeo, inquit: qui poſtquam commodius ſecum actum exiſtimabat, quòd ad dictas ædes perveniſſet, cereviſiæ unam atq. alteram ampliorem promi jubet, quas dum epotat, ſubinde interrogat, an jam hoſpes intraverit. Redeunte e foro illo, colloquia prius miſcent varia, dein ho-

ſpes

ſpes qui & Chirurgicen callebat, vult ut Peregrinus malum quod ferebat detegat. Gravatè primùm hoc ille, nam infamiæ quam pertulerat admodum cœperat pudere. At iterum flagitante, Hoſpite, pudorem exuit, & latos humeros, lacertóſque cicatricibus virgarum admodum deformes, veſtibus nudabat detractis. Hoſpes quid hoc rei eſſet nõ difficulter intelligens, verberum vulnera atque vibices, pellibus ovium recentibus impoſitis, obliterat. Mox aliquantulum intermiſſam reſumunt compotatiunculam, ac bibunt quoque largius: ubi Peregrinus potu paullò hilarior factus, inſontem ſe in iſtum caſum incidiſſe narrat, ignarus hoſpitem urbis ejus lictorem eſſe, addens ſe hoc pertuliſſe ob ſemel effoſſum viduæ ſcrinium, e quo vix totum argenti pondus abſtulerat. At reliqua, ait hoſpes, quot & quanta ſunt tua facinora, hæc taces. Hic Peregrinus lapſus lingua, majorum admiſſorum facinorum hoſpiti ſuſpitionem movet, unde ad Prætorem Peregrinum defert, qui poſtridie e diverſorio exire volentem conſequitur, in itinere hominem comprehendit, conjicit in carcerem, ſtrictius quàm prius examinant judices, cauſſam inveniunt cur ad tortoris æquuleum ire cogant. Trepidare ille & ante oculos tortorem, æquuleum, verbera, átque cruces cœpit ponere. Adhæc prior adhuc hominis cutem caſtigatio urebat. Quare miſericordiam implorat judicũ, ſuam iſti pollicentur,

tentur, q; si admissa fideliter commemoret. Interim ex ore ejus ingentem scelerum colligunt fasciculum, quæ nunquam antea erat confessus. Quid multis? Iudices ad misericordiam proni, sententiam irrogant, ut virgis denuo cęsus & stigmate notatus, liber esset. Rapiunt hunc lorarii, ad carnificinam trahunt, & magna reum admiratio capit, quis eum in tantam miseriam conjecisset. Paratis ad pœnam necessariis, mors terrorque sceleratorum hospes Carnifex supervenit, quem conspicatus reus, verbis quantũ potest blandissimè salutat, o hospes hospes exclamans en me miserum. At hospes denudatum ut hostis palo reum alligat, & ad pulsandum verberandúmque reum exercitatissimus, virgis adeò cædebat, ut prę sanguine stillaret. Tunc inter verbera, facilè suspicans illum sui mali principium & actorem esse, gemebundus screat. Ergo nec hospes ab hospite tutus? infidelem te. Et hoc tibi factum immisericorditer videtur, superbus & immitis respondet Carnifex, quòd melle livida tua membra illino? Etenim virgas secundò jam perpessꝰ, quid aliàs malis quàm hodie has fieri nuptias: quum si scelus sceleri addas, nunquam iterum tantum feres beneficium, sed patibulo eminus affigeris.

IX.

CÆCUS peregrinationis suæ sociũ habebat Claudum, hic nactus quodam tépore, ex opima mensa, bonam armilli assi partem, cùm denso panis frusto in ejusdem jure probè versato; Cæco offam ministrabat, sibi delicias servabat. Quam gustans Cæcus volebat ut & sibi carnes impertiat. Hìc infitias it Claudus. Cæcus autem quid ais scelestε, an non mihi subolet? At modò quid sit odoris ait alter, incertus es. Cæcus non temerè dolum suspicans, non inultum auferes, dixit, si ego fustem sumpsero, quo dicto simul socio validè alapas & pugnos impegit. Porro si me attigeris vociferatur ille, par pari referam, cur me cedis furcifer? Et Cæcus, cur societas tua parùm fidelis est? Pòst, litem & pugnas sopiunt, atq. unà iterũ pergũt. At Claud9 injuriam sibi illatam a Cæco alta méte premens, dissimulat. Interea loci excogitat atq. molitur quo pacto illam vindicet. Tandem cùm post dies aliquot Cæco anteacta omnia oblita putaret, amice, inquit, siste gradum, ne in præcipitium ferare, parva tibi hìc erit transilienda fossa. Splendidè mendaci homini credidit, etenim haut ante fossam, sed duram quercum Cæcum duxerat; quare dũ e terra timidus fossam transilire laborat, fronte sic in quercum insiluit, ut huic animus cum corpore concideret, & omne nemus strepitu collesq. resultarent. Qui mox ad se rediens, caussam tanti sibi instructi doli interrogat. Nihil minus rebar loquitur

Claudus,

Claudus, quin naribus tuis emunctissimis facilè quercum perciperes, qui tam exactè nuper carnes assas olfeceras.

X.

NVPER amicitiæ caussa instituta Phiditia, Lacedemoniorumq́ more celebrantes, epulabamur omnino modicè, sed eramus tamen in magna voluptate, cùm a singulis recitatæ sic afficerent facetiæ, ut difficilè esset, in omnibus risum tenere. Sed tum quas singuli dixerint, jam illatis luminibus quum epularis sermo fervere cœpit, plenas urbanitatis non commemorabo; unius tantùm Hermanni, cujus os fluit lepore, dicta referam longè amœniora: qui ex eo dicendi occasionem arripiens, quòd tam varia in convivio recitarentur ex Erasmi libello, quem de lingua tam scitè conscribsit; tandem Stultis, inquit, omnibus ad unguem ediscendus esset iste liber, quibus thesaurus in lingua situs est, dũ quæstui habent sæpe loqui, quum tacere multò est utilius. Quamquam facilius fluvium suo alveo, aut ripis, aut belluas septis, quàm futilem & inanem locutorẽ continere valeam retinaculis. Hujus mihi sit excidenda lingua, qua vel evulsâ, simul libidinem loquendi deposuisse existimabitis? Adeò hoc non linguæ, sed levis, & importuni locutoris, pectoris est vitium. Quod ut intelligatis, nõ alia re melius q̃ fabula, a prisco repetita seculo, vobis potero probare,

IRo cuidam pauperiori mens erat Elysios campos quærere, quò in rebus secũdis viveret beatus. In Orientem ergo magnum iter proficiscitur. Sed quum reperit aditus omnes septos & clausos, pulsat fores, ubi recubare solet Elysii custos & janitor. Qui experrectus postq̃ humo se constituisset in pedes, quid vellet interrogat. Ille, da mihi hoc & cõcede quod facile est rogo; volo & ego amœna piorum consilia, Elysiumq. colere. Orantis precibus cessit, atq. adeò intromittit ea lege ac omine, ut si quid vel videret, vel audiret quod minus probaret, non contradiceret. Qui ex pactione hoc se facturũ affirmat.

Amœnitate Elysii ducitur, capitur de loco ad locum deambulandi cupiditate, animi relaxandi caussa. In cæduam silvam perrexit, in qua postea quàm arborum præstantissimas & optimas, ad ædificiorũ usum succidi animadverteret, impatienter hoc factum tulit: quorsum, clamans, tanta animi petulantia, ut relictis vilioribus, proceritate tantũ altissimas & elegantissimas vobis deligatis? Hoc audiens Elysii custos, exsiliũ homini minatur. Sed verò ille, obsecro, unam hanc noxiam mitte, si aliam unquam ullam admisero, occidito. Priorem errorem condonat custos, ac monet, ut in posterum ab obloquendo caveat. Secutum quid? Transactum vix horæ spacium, quin novi fœderis oblitus. Nam prædictas arbores plaustro transversè impositas dum videt, per angustam admodum Elysii portam

tam evehendas, aurigam hoc pacto increpat: qui jam exitus futurus est, stulte quin rectè ponis? Hæc quum voce sua clarius vociferabatur, Elysii custos audit; campisq. miserum expellebat. Tũ ejulans ille ac singultiens ad genua accidit supplex, ut & novi fœderis soluti veniam sibi dare vellet: Si faciat; antequam deinceps peccet, se linguam prius præmordere malle. Exorabilem preces adeò validæ custodem flectebant. Ille verò latère semper constituit ac nunquam prodire in publicum: scilicet is tanta animi firmitudine fuerit, ut semel constitutam animo sententiam potuerit servare. Itaq. quũ Ver nactus sudum, & campi essent patentes, & frigida per eos laberentur, ruerentq. flumina, & multa ferveret sacer Atthide lucus, major illum invasit, quàm unquam antea, deambulandi cupiditas. Catastrophen vultis Fabulæ? Æquum id est optimi: Satis certè verbosè hactenus. Sed notate ex hoc prius, quomodo loquendi flamma repressa reardescit: Durities antè ex cote, quàm iste morbus ex tali pectore excideretur. Vt enim temerarius tertiò se in medios campos dedit, & vidit equos a tergo plaustri junctos, & malè insuper impositas, ut prius, arbores trahentes; ut mare profundum & immensum, sic ille contradicendi studio ac quodam quasi æstu effervescebat, verbis insuper addens minas. Enormem tum loquendi ardorem detestatus, custos amœno hominem Elysio pellit: Vobis quam dicere

concœpi, finivi Fabulam. *Sed post decursam, inquit, quid de isto homine cogitatis? Nos miserum dicebamus omnes. Quo pacto tum ille, immo beatus est qui sic evasit. Est quidem, tam dulci statione pulsum, at, quos propria amentia non afficit, cur hos nititur corrigere? Sapiens nulla re magis lætari solet quàm libere proloquendi copia, rem quæ animo inest, sive audientes juvabit, sive contristabit. Quos verò suæ malæ cogitationes, conscientiaq; animi terrent, utilium consiliorum osores sunt. Et si hîc ille tam liberè facta quorundam carperet, nõne exutus omnibus facultatibus, iret in exsilium, relictis domi gratis cum chara uxore liberis? Quòd si monitoribus suis mortales sæpe hîc adeò sunt asperi, quanto magis beatos & immortales, acres, ac diligentes animadversores esse decet linguacium? Quia enim majores a minoribus admonitiones ferant? Porro talia disserentẽ, dulci risu excepimus.*

XII.

Rusticus cauponam exercebat qui domi vaccam alebat pulcherrimam, ad cujus ædes quidã ad furta peridoneus divertisset, inusitato tandem dolo est ea potitus. Media nocte lectulo se levat, atq. intrat stabulum, e quo solutam vicinam abduxit in villam; dein ad lectulum rediit, insciis ac dormientibus profundè ceteris. Et jam elucescebat, omniaq. sub oculis

oculis erant, quare exire ex caupona, & nobilē versus Agrippinarum Coloniam ire volebat. Quod intelligens Caupo, in viaticū secum aliquantum nummorū ferens, cenæ hesternæ insumptum omne ꝙ erat, impostori callido condonat: comitabor, inquiens, idemq. iter cupio tecum arripere. Exeunt pariter, sed ubi locum cōtigissent, in quo hic palo vaccam alligaverat, i præ, sequar, dixit: mihi cum hoc villico intercedit aliquid negotii. Interim consultò moram aliquam interposuit, quasi res ipsi cū villico esset. Caupo autem comitatu destitutū se dolens, præstolatur; tandem procul in advenientem, & vaccam secum adducentem oculis collimat, ex certis indiciis capit, relictum post tergum esse comitem. Hui quas ille ibi non fallacias tendit? Commentum facit, vaccam se a villico accepisse pecuniæ loco, quam non potuisset solvere. Contrà, murmurare secum incipit Caupo, protinus ac pares in illa atq. sua in vacca notas animadverteret. Sed quod urgebat, proloqui minus audebat. Quamquam suspicio dubiam Cauponis mentem tenebat, dum quæstionibus frequentissimis & acutis, abigeum super hanc examinat. Sed mētiri assueto elabi & fallere huic veteratori erat facile; scilicet quum propemodū Caupo haberet jam ill fidem, ah scelus (ac si cōscia mens recti suspicionis mendacium rideret) ego, inquit, postquam te in itinere hoc satis lōgo ut fratrem & amanter & modestè complexus

ſu, dũ abeo negotia mea curatũ, hanc mihi unicam refer gratiam, & vaccam iſtam tanti quanti potes in foro boario venunda. Sedulitatis mihi præſtitæ rationem habebo. Caupo libenter gratìs ſe facturum affirmat, venundando incumbit, emptorem reperit, & multas, ignarus, redeunti ſuæ annumerat vaccæ pecunias. Qui lætus accipit, & tale, ac tantum officiũ munere aliquo compenſat, magno inſuper ſe illum præmio remuneraturum pollicitus. Quibus actis, uterq. in ſua properat diſpari via; vix viam ingreſſo anhelans Cauponi ſervus nuntiat, quo cum pridie Coloniam verſus ierat, abigeũ vaccam e ſtabulo tam elegantem eſſe furatum. Ibi exclamantẽ audiſſes Cauponem: *Serò ſapiunt Phryges*, rem perdidi meam, atq. ſcelus, cuſo de meo, auro & argento potitur.

XII.

QVIDAM non ex Catonum familia, ſed eorum genere qui pluma vel folio facilius moventur, cũ paribus atq. adeò familiaribus ſuis, turrim altiſſimam ſcandebat, in cujus faſtigio, quod longo aſcenſu & labore, fracti eſſent, ſimul aliquantiſper quietem agebant. Et quum artis ſuæ unuſquisq. ibidem peritiam, inq. vita admiſſa facinora adferret, tum & ille quoq. ne ſolus nihil didiciſſe videretur,

pro

pro aureo Caroleo contendit, quem vino insumi volebat, quòd uno desiliret poplite, & alto ventris crepitu ad singulos gradus tonaret. Pecunia certant. Ille gradatim descendens, ac si ventrem armatis ad hoc bombis implesset, singulariter alium post alium altè gradum podice salutat. Et quum ne tantulùm offendisset, titubatumq́. ab eo esset, adeò frequentes ac crebros ad postremum dabat, ac si qui diu collecti essent in momento ac uno tempore universos voluisset simul perdere.

XIII.

RVSTICVS panni negotiationem exercentis ædes introiit, salutantem se, resalutat negotiator; dein sic Rusticus: de ratiuncula jam pridem tibi pauxillũ nummorum debeo, quantulũ argenti id sit, vide. Negotiator nomina percurrit debitorum, inq́. suis tabulis Rustici illius nomen nusquam reperit. Quamobrem Negotiator, bone vir, ratio nusquam apparet, neq́. accepta neq́. data quantũlibet investigans invenire queo, nihil mihi debes, abi. Contrà affirmat Rusticus certam se illi pecuniam ex accepto panno debere; atq. ita loquitur, non appellando malus ob hoc fiam, accipe, hoc tuum est: neq. enim æquum est, ut quod negligentia a te omissum est, id ego injustè aufe-

ram ; ut mea memoria est ad plenam debiti liberationem sex debeo Caroleos, eosq. Negotiatori obtrudit. Accipit ille, Rustici verbo fretus. Quo facto dum Rusticus abire parat, illo percõtante num quid amplius pannorum vellet, hodie nihil respondet. Atqui ut nonnihil secũ pannorũ auferret non modò instat, sed & tam bonum virum planè coëgit. Qui subducto calculo pro viginti Caroleis, in diem, pannũ accipit, loci in quo habitet nomine, proprioq. quidem indicato, sed callidè mutato, quod Negotiator inter alia in suis tabulis scribsit. Acta, transacta ritè omnia. Negotiator diem exspectabat, Rusticus diutiꝰ quàm par erat solutionem distulit. Quamobrem statuit illũm tanquam debitorem appellare, sed inquirenti de eo nusquam talis nominis Rusticus exstitit.

XIIII.

CVM ad certũ tempus a Curia abesse liceret, Flandriæ Comes, ut aëris serenitatem caperet, in prædio suo quod in ejusdem provinciæ partibꝰ sitũ habebat, aliquantisper cum familia agebat. Hunc postquam nivei pecoris dives aliquis Colonus ad convivium splendidum, regale & luxuriosum vocasset, inter ceteros quoque aderat convivas Batavus quidam, quem Gouda genuerat patria, atq. ex professo

fesso cerevisiarum coctor: cui Comes, altũ cyathum manu ferens spumantem, plusq. minusq. vini amphoram tenentem, quod faustum ac felix sit hoc te saluto. Ille verò Curios simulans, modico vino idq. non nunquam victitare erat solitus, quare immoderatum vini haustum formidans, omni qua potuit primùm humanitate recusavit. Dein postquam Comes instanter urgere & hominem sæpius compellare cœpisset, & tu vicissim, ait, quodcunq. propinavero deglucies? Annuit Comes. Tum ille probam anseris alam veru fixam ex orbe manu attollens, quam devorare decreverat; en vide hic aliam, ego quam teneo manibus consumam, & tu tibi capies istam. Cùm autem Comiti factu hoc esset grave, tam faceta responsione delectatus, suis pmisit Coctorem vivere moribus.

XV.

CONCESSA amans furta, Adolescens puellam solicitat, ut sibi velit corporis sui copiam facere, promittens & habere quod det, & neminem se largius daturũ. Illam verò pollicita non flectebant, sed callida amore ejus uri se finxit. Diem, locum, atq. horam significat, qua veniat animiq. libidinem expleat suam; dura, inquiens, me premit custodia matris, sed ut id tamen fiat commodè cavebis ne-

quid temere. Quamobrem vespere sub horam decimam, dum mater cubitum abierit, binos in limine lateres ponam, ex his unum manu apprehende, quo tu pòst placidè pulsa fores, concupita tenebimus. Lætus ampla ob spolia exultat amator, horam obsêrvat, lateres positos videt, quorum alerum dum vult apprehendere, turpe dictu, pingui stercore manum fædat. Ridet intrò tacita, stulti amatoris dum præstolatur adventum: ille verò rubore suffusus se intra suam pelliculam continuit.

XVI.

CVM Feneratore Miles de vitæ innocentia morumq. integritate certabat; Iovē capiunt judicem. Miles se pro caussâ & gloria Principis sui in arena depugnare, hostes perdere, & qui in bello immanes non fuissent servare dicebat. Fenerator pauperioribus dato ad usuram mutuo, hoc efficere exponebat, ut creditoribus possint fidem servare. Ad hæc risit Iupiter, & delegatum se illis daturum judicē promisit, qui de caussa statueret. Ille pronuntiat EX LVPÆ CATVLIS MANSVETIOREM DIGNOSCI NON POSSE.

XVII.

MER-

MERCATOR nactus famulum, cujus fidem examinare volebat modò nummum aureum hoc in loco suarum ædium, modò argenteum in alio ponit. Quos reperiens famulus omnes hero tradit, qui simulat impensè se ob hoc gaudere, ac si præter spem contigissent. Sed quum suspicio in homine cresceret, quam de famulo conceperat, nunquam a consueto destitit, immo plures quàm unquam antea oculis famuli exponebat. Quòd ille persentiscens dolum esse, quum iterum in aureum incidisset, soluta bracca, magno stercore cooperuit, addito super hoc elogio, PRÆSTAT ME TE CONSPURCARE.

XVIII.

DELITESCEBAT in Cauponula cerevisiarum coctor, perpotans ad vesperum, ubi dũ hospes justam illi querelam diceret; cerevisiam a suis decoctam, juxtà ac aliorum, non exhilarare potorum animos, famulorũ id per inertiam & negligenitam excusavit. Attestans polentam quam haberet, in mẽse Martio præparatam optimam esse. Nihilominus curaturum deinceps, ut res suas melius agant. Quod audientes famuli dicere herũ, plegno in diversorio, illi, non tibi famulos laudatos & bonos, sed famulorum aliquot tuorum mutato

tato operam & ministeria. Quidquid peccasti hoc facto medeberis. Nihil enim est caussæ, cur melior nõ sit, qùàm quòd Hercules aquam hauriat, & Nanus polentam fundat. Dum hæc famuli, ille ringitur, aquæ potores verò rident.

XIX.

ADOLESCENS in epulas, inhonestosq. amores pecunias profundebat, & auri, & argenti sui erat prodigus. Ergo cùm non rem familiarem modò, veùm etiam ædes cum prædiis, & omne ꝙ haberet consumpsisset: nobilis meretrix quam perditè semper amarat, notans amatorem suũ mendico jam quovis factum pauperiorem, tanquam libidinosos amores illi vellet ostendere, liceat hoc modò, inquit, cultello tenellulorum tuorum digitorũ ungues præsecare: qui protinus in furias, amorisq. ignem ruens, concessit amasiæ ꝙ volebat. At demptis, illa in ferociam inauditam mutata est ac stultũ domo pepulit, verbisq. insuper insultans, iners jam abi, inquit, ac dicito quibus sortem tuam deplorabis, ne ungues tibi superesse quibus nates frices.

XX.

SARTOR quidam animam agens, mortem sibi geniumq. malũ obvios habebat, dira minantes, & ex panniculis variis nulliusq.

liusq. non coloris vexillum ferentes, quo laboranti in vita tot sua cõmissa furta exprobrabant. Ille verò anxius, mori horrebat, blanditiis precibusq. crebris interpellans Deum, ut sibi mortis diem prolongaret. Oranti adeò Deus fit mitis, ea lege, ut nunquam exin aliqua pannorum segmẽta suffuraretur. Qui semel hac data venia semper fidũ se fore spondet. Convalescens igitur satis laudabiliter aliquamdiu suam artem sutoriam exercebat. At mox peregrini coloris pannus ad se quũ delatus esset, ex quo concivi suo promissam tunicam consueret, ictì semel cum Deo tamq. sacri fœderis immemor, antiquũ obtinebat. Hoc animadvertens uxor, itáne, inquit, agis marite? terribilisq. illius vexilli oblivisci unquam potes? Ille, tace modò, quid si dicam licere hoc, & in vexillo mihi hũc colorem neutiquam esse visum?

XXI.

FERTVR Comes reũ capitis damnasse, in quẽ frequentes spectatores acutè intuentes, gladio feriendũ hominis caput esse purulentum ac supra modũ scabiosum observabant: quare omnes tam turpẽ abominatos scabiem mussitasse, hui, quàm fædum & pustulis fervidum caput. Dixisse reũ, ex capite meo nauseæ molestiam suscipitis, at mihi interim sat cõmodum esset hoc caput, si servare liceat. Tum

altè.

altè risisse populũ, ut risus animũ Comitis metu concuteret, illum dein ex lictoribus digitulo ad se vocasse, qui tanti risus sibi, inter populum, suborti caussam pate faciant. Istos aperuisse, jamq. excessuri e vita Rei facetias notasse: tum quoq. risisse & Comitem, mortisq. multam Reo cõdonasse.

FINIS.

W

TYPO-

TYPOGRAPHUS LECTORI S. D.

NON ignorans, humanissime Lector, quod difficile adeò sit Momo satisfacere, qui vel Veneris sandalium calumniabitur; volui in extrema quasi parte & conclusione muneris ac negotij hujus paullulum diligentior esse: lapsum per negligentiam admissum corrigere, omissumque fortè officium notare. Non quod furialem Momum deligimus arbitrum hujus laboris, sed ut obsequium nostrum aliqua diligentia probemus. Increpabis sicubi somniculosè egerim; at scias nimia cum festinatione, tum Typographici operis altissima consideratione id factum esse, quæ vel centum oculis Argo imponant. Porrò postea quàm posita perperam ejusmodi sint, ut quivis, qui vel a limine litteras salutaverit, facilè deprehendat: submissè peto, in castigando Candidus ut esse Censor velis. Quod si facis; nihil moror, quibus obstinata mens est calumniandi libidine ad laudabiles conatus conivere, in levioribus autem suspenso naso quàm diutissimè immorari. Impudenter carpentes sæpe quæ ipsi ignorant. Quid enim, si Dijs placet, Nasutulos aliquos nostræ syllabarum divisiones, prorsus compositionum originis ignaros, non solicitant? Quam illis Orthographia nostra nauseam non parit? Sed Sciolos hosce ad Codices Manuscriptos, & Lapides ablego: ut discant, qui emissitijs oculis aliena carpunt, verum esse proverbium,

ειm. μωμήσεται τι μᾶλλον ἢ μιμήσεται. *In eo autem, in quo peccare me dicunt, quòd inter (u) & (i) vocalem & consonantem, exceptis majusculis, passim fecerim distinctionem, doctissimorum virorum probabilem rationem sequi malui, quàm qui decenter hoc fieri negant. Non altercandi studio, cùm sciã cuiq; suũ esse pulchrũ, hæc depromo; sed quum in omni arte perfectum sit aliquid, ad illud semper enitendum esse putavi. Vale.*

ERRATA.

Pag. 20 Οἶκ⊙, lege Ο῏ικ⊙.
Pag. 49 ratus, lege *rata*.
Pag. 50 fractus, lege *fracta*.
Pag. 93 vicinũ, lege *vicinam*.

Cetera Lector notare non est opereprecium.